6
19-d
107

XXXVI . D . 15 .

6
17 D
48

M
VII
15

6-10-1-5



k
v22
15

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTONII THYLESII
CONSENTINI
O P E R A



BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

NEAPOLI · CIƆIƆCCLXII.

EXCUD. FRATRES SIMONII

PUBLICA AUCTORITATE.

Digitized by Google

VIRO CLARISSIMO

AEMILIO JANUTIO SABELLO

PATRICIO CONSENTINO

Ex Gheruntiae Principibus &c.

FRANCISCUS DANIEL S. P. D.

Q*UUM animadverterem*, AEMILI *optime ac doctiſſime, idque ſaepe mecum animo reputarem, non immerito eorum vulgo commendari induſtriam, qui noſtra hac tempeſtate in illuſtrandis elegantiorum Scriptorum operibus ſuam operam collocarunt: angebar quidem, planeque dolebam* ANTONIUM THYLESIUM *Conſentinum, quum in omni venuſtate, ſermoniſque mira puritate nemini palmam concederet, non ea frui clariſſima lucis uſura, quam ceteri politiorum litterarum amatores jam ſunt promeriti. Commo-*

dum autem Tu pro eo, quod erga litteras foves ſtudio, mihi praecipuus auctor fuiſti, ut THYLESII *Operum editionem aggredi non dubitarem, quam, quum pro virili adornaſſem, cui aequius melius quam Tibi, Vir Clariſſime, inſcriberetur prorſus erat nemo. Ex Tuo enim cenſu potiſſimum profectum eſt, ut egregia illius ſcripta á temporum injuria vindicarentur; Tuque ex Tua bibliotheca, quam ſelectiſſimorum librorum copia refertiſſimam habes MStos codices ſubminiſtraſti, quo auctior haec editio orantiorque in publicum prodiret. Atque eo gratius Tibi acceptiuſque hoc muneris genus fore confido, quod elegantiſſimum Scriptorem popularem Tuum, eumdemque veteri affinitatis vinculo Genti Tuae conjunctum Tibi offero, qui ſua latine ſcribendi praeſtantia, ac mira antiquitatis intelligentia, nedum patriae, ac neceſſariis ſuis, ſed & univerſae Italiae ingentem laudum cumulum adjecit. Quae cum ita ſint, in ſpem ingredior fore, ut hoſce meos labores, quales ii cunque ſunt, aequi bonique conſulas. Quod ſi ita erit, uti haud dubie futurum confido, pro ea, qua prae ceteris praeſtas humanitate, me navatae di-*

ligen-

ligentiae, induſtriaeque minime poenitebit. Vale.

Neapoli VIII. kal. Octob. CIↃIↃCCLXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTONII THYLESII

CONSENTINI

VITA

A FRANCISCO DANIELE CONSCRIPTA.

TELESIA, ſive Thyleſia Gens ſi unquam alias amplitudine, dignitate, rebus geſtis, opibuſque crevit (*a*), inter reliqua ſua decora, illud non ultimo loco accenſeri debet, tot in lucem protuliſſe illuſtres litteris & eruditione viros (*b*): quin, ſi rem recte putemus, ex eo tantum capite, vel praeclariſſimis

a 4 apud

(a) Ab uſque anno cIↄccLI. mihi ſe offerunt Petrus, ejuſque filius Gulielmus Thyleſii; alter gratia, qua apud Fridericum Caeſarem pollebat maxima; alter Seminariae dominatu ea tempeſtate longe clariſſimi. Fuit & Antonius hujus nominis primus a Ludovico III. cui a conſiliis erat, & a Johanna II. ſummo in pretio habitus. Plerique ex Thyleſia Gente recenſentur plurium oppidorum variis temporibus Dynaſtae, Caeliſani nempe, Caſtrifranci, Marani, & Bonifati. Hac de Familia fuſius HIERONYMUS SAMBLASIUS [*Ragguaglio della Città di Coſenza, e di* XXXI. *ſue nobili Famiglie. pag.*179. *in Napoli* 1639.4°.] & FABRICIUS CASTILIONEUS MAURELLUS [*De Patricia Conſen. Nobilitate num.* XLV. *pag.* 67. *Venetiis* 1713. *fol.*]

(b) Hi ſunt Nicolaus ICtus inſignis, quique de Venetiarum urbis laudibus Poëma exaravit, Joh. Baptiſta Petrarchae explanator, ANTONIUS ipſe, cujus Vitam ſcripturi ſumus, & Bernardinus cognomento Philoſophus. De his omnibus locupletiſſime teſtatur SALVATOR SPIRITEUS [*Memorie degli Scrittori Coſentini. pagg.*21. 39. 47. 83. *in Napoli* 1750. 4°.]

Digitized by Google

apud Brutios jure meritoque anteferetur. Quos inter eum profecto omnium clariſſimus (praeter unum Bernardinum philoſophicis ſtudiis ſupra ceteros nedum Familiae, aut Patriae, verum etiam Italiae celebratiſſimum) ANTONIUS extiterit, de ejus Vita, & Scriptis Commentariolum, cum ad revocandam tanti viri memoriam ſitu pene & oblivione obliteratam, tum ut ejus purum eleganſque dicendi genus ἐμμέτρῳ, atque ſoluto ſermone, tanquam abſolutum exemplar ad imitandum proponatur, accurate quantum per monumentorum inopiam poterimus, ſcribendum ſuſcepimus.

Natus eſt ANTONIUS THYLESIUS Conſentiae circa annum ab adventu Chriſti CIƆCCCCLXXXII. (*a*). Patre uſus eſt diligente, indulgente, &, ut ea ferebant tempora, in primis litterarum ſtudioſo. Hujus opera a primis annis omnibus iis rebus fuit ornatus, quibus puerilem aetatem impertiri primum omnium maxime decet, ſcilicet, ſuavitate morum, & vitae innocentia elegantiaque. In litteris perdiſcendis praeceptorem habuit Thydeum Actianum Picentinum, qui ſub id fere tempus magna famae celebritate juventutem Conſentinam in humanioribus ſtudiis publico ſtipendio erudiebat (*b*). Quot heic quantaſque progreſſiones fecerit, vel me tacente, is intelliget, qui divinos ejus foetus vel obiter luſtrarit. Brevi enim tantum ad virtutis aditum proceſſit, ut aetate provectiores vicerit, nedum ſuis aequalibus longe plurimum antecelluerit. Hinc nemo non ejus

prae-

(a) IDEM [*ibidem. pag.39.*] ANTONIO TELESIO ... *nacque il* CIƆCCCCLXXXII.

(b) SERTORIUS QUADRIMANUS [*Iſtoria di Coſenza MS.* cujus autographon apud nos adſervatur.] *Tideo Acciarini . . . . . il quale ne' tempi de' noſtri biſavoli fu chiamato ſin dalla Marca a leggere lettere umane in* Coſenza. Et paullo poſt. *Coſtui* (Tideo) *venne a noi da lontane contrade per ammaeſtrare la gioventù Coſentina.*

praecox admirabatur ingenium , quodque herbeſcentis ſpei teneritudo praeter omnium expectationem tam citò ad tantam maturitatem perveniſſet. Omnes uno ore omnia ei bona dicebant, parentiſque fortunam praedicabant . Verum haec , quae ceteris licet non temere tanti erant, minime ejus animum commoverunt, quin imo, quo ſemper de ſe demiſſe ſentiret , effecerunt . Quare non heic ſibi conſiſtendum, verum ulterius improbiore labore, impenſioribuſque ſtudiis progrediendum exiſtimavit. Namque ſecum animo reputans nec hilum ſe proficere poſſe in eloquentiae ſtudiis, niſi optimos quoſque auctores ad imitandum ſibi proponeret , eoſque nocturna diurnaque manu verſando, in ſuccum veluti & ſanguinem converteret ; in elegantiſſimis tantum utriuſque linguae ſcriptoribus legendis juventutem ſuam deinceps collocare ſtatuit . Currenti calcaria exemplo ſuo addere viſus eſt Janus Parrhaſius , cum eo non communis patriae tantummodo , ſed affinitatis quoque vinculo conjunctiſſimus : vir ad profligandam barbariem natus, quique jure optimo ſaeculi ſui Varro eſt appellatus (*a*) . Ut autem eam dicendi facultatem, ad quam toto animo , omnibuſque nervis contendebat, certius & brevius aſſequeretur , Italiam ſtatuit peragrare per ea tempora velut alteram Graeciam omnibus bonis artibus, in tanta doctiſſimorum praeceptorum copia, florentem. Etenim cum ſub Eugenio IV. de Orientalis, & Occidentalis Eccleſiae concordia in Concilio Florentiae habito ageretur, complu-

(a) JOH. MATTHAEUS TOSCANUS [*Peplus Italiae. lib.* III. *num.* CV. *pag.* 63. *Pariſiis* 1578. 8°.]

Ille ſui Janus Saecli Varro , ille veternum
Torpentem excuſſit , turba Magiſtra , tibi .
Abdita Cecropiae doctrina clauſtra refregit ,
In Latiumque tuas tranſtulit , Hellas , opes ...

plures ex Patribus Graecis illuc convenientibus in offenſionem ſuorum indigenarum lapſi, apud Pontificem Romanum remanſerunt (a) viri omnes profectò clariſſimi ; atque inter eos Beſſario Archiepiſcopus Nicaenus, mox Cardinalatu honeſtatus, de cujus eruditione, atque ſingulari erga Romanam Eccleſiam pietate nulla unquam aetas conticeſcet (b). Et non multo poſt capta, & ſubverſa a Mahumete II. Conſtantinopoli, quo, veluti ad mercaturam bonarum artium, ut de Athenis ſcriptum legimus, e Graecia univerſa concurſus fieri ſoliti erant ; expulſi inde doctiſſimi homines in Italiam profugi ad Pontificem Romanum, ceteroſque Principes Chriſtianos venerant, quos inter facile eminebant Demetrius Calcondyles, Conſtantinus Laſcaris, Theodorus Gaza, & Emmanuel Chryſoloras (c). Diverſas igitur Italiae urbes complures annos pervagatus ANTONIUS ſemper uſus doctorum hominum conſuetudine, nec intermiſſa optimorum auctorum lectione, tantum in quolibet litterarum genere progreſſum fecit, ut brevi inter doctiores ſuae aetatis eſſet, & exiſtimaretur. Hinc Mediolanenſes ſingulari flagrantes ſtudio patriam Academiam viris omni diſciplinarum genere ornatiſſimis augendi exornandique, eum, amplo & magnifico conſtituto ſtipendio, acciverunt, ut publice Graecos, Latinoſque ſcriptores juventuti ſuae inter-

(a) LEO ALLATIUS [*de Eccleſiae Occid. & Orien. Perpetua Conſenſione lib.* III. *cap.* 1. *pag.* 876. *Coloniae Agrippinae* 1648. 4°.]
(b) PAULLUS JOVIUS [*Elogia Illuſtrium litteris Virorum. in Beſſarione. pag.* 43. *Baſileae* 1577. *fol.*]
(c) ALLATIUS [*ibid. lib.* II. *cap.* XVIII. *pag.* 855.] *Quare Graeci, etiam ipſi prudentia, ac doctrina illuſtres, tanta rerum immutatione ac calamitate perterriti, & jam inſtans nationis excidium praeſagientes ; patria privati, vagique & exules per terras alienas, in quibus domicilii ſedem locarent, errare voluerunt. Inter eos praecipui fuere Emmanuel Chryſoloras, Theodorus Gaza . . .*

terpretaretur; cumque in eam civitatem profectus eſſet, quae antiquitate, humanitate, doctrina praeſtabat omnes, ei unus ante alios merito fuit cariſſimus (*a*). Inter alios ſollertiſſimos diſcipulos, qui eum Mediolani docentem frequentes audivere, recenſentur Joh. Jacobus Ammianus Tigurini Collegii Rector, Latinaeque eloquentiae profeſſor, Rhodulphus Collinus in eodem Collegio Graecae linguae interpres (*b*), & Bernardinus Thyleſius fratris filius, qui illuc Conſentia ſe contulerat, quo commodius apud patruum bonis litteris vacaret (*c*), mox in arenam deſcenſurus adverſus Ariſtotelem, ejuſque ſectatores, libertatis philoſophandi aſſertor, & vindex acerrimus: cujus egregii facinoris gloria omnino omnis tribuenda eſt ANTONIO, qui ei a puero rudimenta ſanioris philoſophiae animo inſtillavit. Quo autem tempore Mediolanum venerit THYLESIUS, nihil certi auſim proferre; ſed, id accidiſſe videtur anno CIƆIƆXVII. idque mihi libentius perſuadeo

(a) QUADRIMANUS [*degli Uomini Illuſtri Coſentini MS.* cujus autographon apud nos extat. ANTONIO TELESIO . . . *leſſe pubblicamente nella ſua giovanezza in Milano con molto applauſo di tutta quella Nobiltà*.

(b) CONRADUS GESNERUS [*Biblioth.Univerſ.pag.63.Tiguri* 1545. *fol.*] ANTONIUS THYLESIUS *Conſentinus Mediolani cum alios diſcipulos bonis litteris inſtituit, tum ex noſtratibus Joh. Jacobum Ammianum Tigurini Collegii Scholarcham, Latinaeque linguae profeſſorem colendiſſimum praeceptorem meum, & Rhodulphum Collinum doctiſſimum in Collegio noſtro Graecae lingue interpretem, cui ego etiam propter ejus linguae quantulamcunque ſum adeptus cognitionem, plurimum debeo*.

(c) JACOBUS AUGUSTUS THUANUS [*Hiſtoriar.lib.*LXXXIX.*ad ann.*CIƆIƆLXXXVIII.*t.*IV.*pag.*265.*edit.*1625.*fol.*]*Octobri ineunte Coſentiae, quae illi patria erat, in Calabria ultimum diem clauſit Bernardinus Teleſius, qui* ANTONIUM *patruum habuit philoſophicis ſtudiis celeberrimum, ab eoque Mediolani inſtitutus*.

deo, cum extet inter ejus Carmina poëmation ſane longum (*a*), in quo narratur quemadmodum Turris in arce Mediolanenſi, circa illud tempus, icta fulmine tota diſſiluerit (*b*). Eum peculiari ſtudio, ut alios omittam, complexi ſunt Trivultii, qui genere, opibus, auctoritate ante alios in civitate maxime florebant; cumque Joh. Jacobo eorum gentili ſtrenuiſſimo exercituum imperatori in Gallia morte functo (*c*) ſollemni funeris apparatione in patria parentaſſent, nonniſi ANTONIUS delectus eſt, qui defunctum pro roſtris in concione more majorum laudaret (*d*); atque hic ſupremus felicitati illius cumulus acceſſit laudator eloquentiſſimus. Ni bellum, quo per id temporis Mediolanum (*e*), ſuaque ditio univerſa ſaeviſſime jactabatur cauſa fuerit, cur Romam concedendi conſilium cepiſset THYLESIUS, nullam prorſus aliam ſcirem afferre. Venit igitur in Urbem anno cIↃIↃXXIII. (*f*), quo tempore Julius Cardinalis Medices adſcito Clementis VII. nomine ad Pontificatum Maximum fuit evectus. Praeſens excepit omnium Ordinum gratulationes, deque ea re dedit epiſtolam ad Alexandrum Cacciam Florentinum (*g*). Ampliſſimo Datarii, uti ajunt, munere fungebatur apud Pontificem Joh. Matthaeus Gybertus litterarum, litteratorumque virorum patrocinium firmiſſimum

(a) Carm. lib. I. num. VI. pag. 64. hujus editionis.

(b) FRANCISCUS GUICCIARDINIUS [*Iſtoria d' Italia lib.* XIV. *in Venezia* 1738. *fol.*]

(c) Orat. pag. 193.

(d) Toto caelo errat NICOLAUS TOPPIUS [*Biblioteca Napoletana*. *pag.* 32. *in Napoli* 1678. *fol.*] qui ait, THYLESIUM Romae habuiſſe Orationem in obitu Trivultii.

(e) GUICCIARDINIUS [*ibid. lib.* XV.]

(f) Clemens VII. renunciatus eſt Pont. Max. XIII. Kal. Decembres cIↃIↃXXIII. ALPHONSUS CIACCONIUS [*Vitae Pontific. cum Romanor. t.* III. *Romae* 1677. *fol.*]

(g) pag. 123.

ſimum (*a*). Hunc, quamvis eſſet natura non ſatis facili (*b*), conſuetudine ſua ſic ſibi devinxit ANTONIUS noſter, ut nemo ei perpetuo fuerit carior; quo factum eſt, ut huic omnia beneficia, quae poſſet, haberet; quorum in numero illud praecipuum eſt, quod ejus opera inter Profeſſores in Romano Gymnaſio cooptaretur; ibique Poëtas Latinos interpretatus (*c*) eſt ab Horatio auſpicatus, ut patet, praeter Paulli Jovii (*d*) teſtimonium, ex ejus Praelectione in hunc Auctorem elegantiſſime ſcripta (*e*). Neque heic ſilentio praetereundum eſt pingue ſacerdotium, quo ab eodem

(a) PETRUS BEMBUS [*Epiſtolar.famil.lib.*V*.epiſt.*XXI*.ad Reginaldum Polum.pag.*216*.Venetiis* 1552.8°.] *Gybertus ... ad eam, qua nunc quidem apud Pontificem eſt auctoritatem & gratiam, quae profecto quantae ſint, omnes jam homines intelligunt, ſummam vitae integritatem ... adjunxit, quodque tibi jucundiſſimum eſſe debet, cum litterarum & bonarum artium ſtudia, quantum fieri ab homine occupatiſſimo poteſt, tum in doctis hominibus fovendis, juvandis, honeſtandis egregiam, & mirificam voluntatem.*

(b) FRANCISCUS TURRIUS [*Lettere di* XIII. *Uomini Illuſtri. a M.Carlo Gualteruzzi lib.*V. *lett.* XVI. *pag.* 176. *in Venezia* 1565. 8°.] *Che, benchè la ſua natura* (del Giberti) *non aveſſe ſempre tutta quella dolcezza, che averia deſiderata la mia; temperava poi la ſua imperfezione in quella parte con tante altre perfezioni, che quella auſterità non poteva offendere.*

(c) ALEXANDER ZILIOLIUS [*Iſtoria de' Poeti Ital. MS. Biblioth. Angelicae Aproſianae*] ANTONIO TILESIO ... *ebbe il carico di leggere i Poeti Latini nelle pubbliche Scuole di quella Città* (di Roma) *favorito da Matteo Giberti allora Datario.* ZILIOLII de THYLESIO teſtimonium mihi communicavit amiciſſimus meus Benedictus Stay SS. D. N. Clementis XIII. Cubicularius Intimus, & a Latinis epiſtolis, quem honoris gratia nomino.

(d) JOVIUS [*Elogia. in Tileſio. pag.*204.] *At Romae in Gymnaſio Horatium comiter, & tenere profeſſus eſt.*

(e) pag. 207.

dem Gyberto auctus fuit, ut ipſe Jovius eſt auctor *(a)*. Quare ut aliquod grati animi monumentum apud poſteritatem erga tantum tamque munificum Patronum extaret, Poëmatum, & de Coronis libellos Gyberto nuncupavit, atque ſub ejus ſplendidiſſimo nomine promulgandos curavit. Coluit Romae Jovium ipſum omnium Latinae linguae eloquentia diſertiſſimum *(b)*, & Hieronymum Vidam, quem poſt veteres multo elegantiſſimum poëtam fuiſſe vere videor poſſe contendere, neque minus virum bonum, optimiſque artibus eruditum *(c)*. Utebatur etiam heic familiariſſime Coriolano Martyrano, & Franciſco Franchino civibus ſuis *(d)*: quorum alter elegantius, quam antea eſſet factum Graecos auctores in Latinam linguam vertere conabatur, idemque orator non infacundus *(e)*; alterum vero in condendis carminibus omnis generis facilitate, & elegantia nemo ſuperabat *(f)*. Romae morabatur ANTONIUS *(g)* cum exerci-

(a) ibid.
(b) pag. 227.
(c) ibid.
(d) FRANCISCUS FRANCHINUS [*Epiſt. ad Coriolanum Martyranum*. inter hujus Epiſtolas *pag. 35. Neapoli* 1556. 8°.] THYLESIUS *quoque accerſatur, ut tot cives in alieno ſolo una conjuncti Romae Coſentiam videre videamur*.
(e) SPIRITEUS [*Memorie . pag.* 58.] *Coriolano Martirano . . . ſcriſſe leggiadramente molte Piſtole, Orazioni, e Verſi Latini; ma ſpecial cura egli poſe nel tradurre in metro moltiſſime opere de' Greci Scrittori, nelle quali non meno il pieno dominio del puro Latino idioma, che il ſuo maturo, e chiaro diſcernimento ſi ſcopre.*
(f) IDEM [*ibid. pag. 49.*] *Franceſco Franchini . . . compoſe ſopra vario ſoggetto in verſi, e in proſa con ugual felicità*. Et paullo poſt. *Il ſuo ſtile è nobile e ſoſtenuto nell' eroico carattere, tenero e dolce nell' elegiaco, e concettoſo nell' epigrammatico.*
(g) JOVIUS [*ibid.*]

citus Germanicus fruſtra a duce Borbonio majora ſtipendia depoſcens, propriae inopiae ex Romana direptione proviſurus, in Urbem jamdiu oppugnatam repentina vi irrupit; quid ab efferatiſſimis hoſtibus in Romanas res, quid in homines, quid in ſacras aedes, ſacramque aedium ſupellectilem, quid in dicatas etiam Deo virgines actum ſit, hujus loci non eſt referre (*a*). THYLESIUS, qui pene divinitus tantum periculum incolumis effugerat, metu ne tumultuantium hoſtium impetu repetito obrueretur, alio ſibi commigrandum putavit. Quare Venetias contendit, quo ſtudiis ſuis tutius tranquilliuſque obſequeretur. Ibi brevi pervenit in intimam familiaritatem omnium, eruditorum virorum, quibus urbs illa litterarum parens altrixque prae ceteris abundabat (*b*). Nec multo poſt in lucem emiſit, opera Bernardini Vitalis typographi celeberrimi, libellum de Coloribus, & Tragoediam, quae Imber Aureus inſcribitur: hinc amicitiis ſatis, neque minus ſuarum virtutum fama commendatus abs Concilio Xvirûm, quorum auctoritate res gerebatur, praeficitur Reipublicae Scribis erudiendis, cum ei ſtipendium C. aureorum publice praeberetur (*c*): quo in munere poſtmodum ſucceſſit THYLESIO Jovita

(a) Hiſtoriam Direptionis Urbis ſub Clemente VII. habes a Franciſco Guicciardinio, Jacobo Bonaparte, aliiſque non vulgaris notae hiſtoricis ſcriptam; ſed omnium diligentiſſimam a Leonardo Antonio Sanctorio Caſertano noſtro, italo ſermone exaratam MStam nos adſervamus, utinam edendam.

(b) pag. 228.

(c) JOH. BAPTISTA EGNATIUS (*Epiſtola ad Romulum Amaſaeum inter Epiſtol. Cl. Virorum pag.* 103. *Venetiis* 1556. 8°.). Quod, ut re intelligas ipſa, conditionem tibi honeſtiſſimam, & quam optare votis etiam debeas offero. In THILESII noſtri locum, viri ſane & egregie litterati, & certe plus boni quam ut haec ferant tempora, cupio te adſciſcere. Capies ex induſtria tua centena quinquagena

ta Rapicius Brixianus (a). Supra ceteros diſcipulos, quos Venetiis habuit, Benedictus Rhambertus oratoriis ſtudiis clariſſimus a nobis eſt perhibendus. Anno vero CIƆIƆXXIX. rei familiaris cauſſa iter in patriam ſuſcepit, & vix quadrageſimo poſtquam conſcendit die ad ſuos pervenit fere naufragus (b). Conſentiae longius immorantem Collegae ejus crebrioribus litteris interpellabant, ut quamcitiſſime Venetias remigraret; cumque in aliquot menſes reditum diſtuliſſet, vix ac ne vix quidem moram patiebantur; orta namque ſuſpicio erat, fuiſſe THYLESIUM alibi invitatum ad litteras profitendas: hinc ille in epiſtola (c) ad Benedictum Rhambertum amicos orat obteſtaturque, ne eum mutatae voluntatis arguerent, & aliis litteris (d) ad eundem, ait, ſe non modo Raguſinis, qui aureis CC. bis eum publico decreto arceſſierant, & Mediolanenſibus id negaſſe, verum patriae

na annua: idque *ἀκοντί φασι*· nam pomeridianis horis duabus ad ſummum praelegendum tibi noſtris Scribis, bonarum artium ut nec ignaris, ſic plane ſitientibus, ſentientibuſque fructum in his maximum eſſe repoſitum; quod ad profectum mirum in modum facit. THILESIUS centena tamen meruit; tu quinquagena inſuper referes mea commendatione.

(a) ANGELUS MARIA QUIRINUS S. R. E. Cardinalis (*de Litteratura Brixiana vol.*II.*pag.*93.*Brixiae* 1739. 4°.). Eo itaque munere apud Venetos Scribas ex Xuiralis Conſilii auctoritate functus fuerat Rapicius, quod Baptiſtam Egnatium Romulo Amaſaeo obtuliſſe jam vidimus, quodque reſcribens ei Romulus *Thileſianam* conditionem vocavit, quoniam ANTONIO THILESIO qui munus idem obibat, ſuaque in Calabriam profectione dimiſiſſe videbatur, ſucceſſor quaerebatur.

(b) pag. 230.

(c) pag. 231.

(d) pag. 233.

triae ipſi, & urbi florentiſſimae Neapoli *(a)*; alibique teſtatur eo animo Venetias remigraturum, ut ibi reliquum omne aetatis ſuae tempus tranquille cum amicis duceret *(b)*. At mors ex tranſverſo incurrens in tumulum urget: circa annum namque CIↃIↃXXXIII *(c)* in patria deceſſit annos natus plus minus I. ſupra L. Sepultus eſt in Cathedrali Eccleſia, gentilitio in conditorio. Vitam tamen diuturniorem, nulliſque unquam temporis injuriis obnoxiam vivent ejus Scripta elegantiſſima, pauca quidem, ſi ſpectentur numero, ſed quorum paucitatem apud aequos judices candor, puritas, ceteraeque dicendi virtutes abunde compenſare poſſint. Quid enim omni ex parte perfectius ejus Tragoedia? in ea ſic ipſa ſermonis elegantia, dicendique puritas, ſic paſſim ſervata gravitas, ſententiarumque ſplendor ubique elucent, ut cum antiquitate ipſa certare videatur. Quid porro ejus Carminibus limatius, vel argumenti novitate amabilius? Quid ejus Libellis de Coronis, & de Coloribus, aut copioſius, aut elegantius? Ceteras ANTONII THYLESII laudes vere immortales conſulto praetermittam, eo quod illas, ſelecta doctorum virorum de eo, quae ſequuntur teſtimonia, abunde praedicabunt.

(a) SAMBLASIUS [*Ragguaglio. pag.*200.] addit. ANTONIO TILESIO .... *fu chiamato da Carlo V. per ammaeſtrare Filippo II.* Sed, cum de hoc nulla heic mentio, merito SAMBLASIUM ſubleſtae fidei arguit SPIRITEUS [*Memorie. pag.* 40.]

(b) pag. 228.

(c) JOH. ANTONIUS PANDOSIUS [*de Coena Domini. Romae* 1534. *fol.*] in epiſtola dedicatoria ad Petrum Antonium Sanſeverinum, data Kal. Juniis ejuſdem anni CIↃIↃXXXIV. cum complures Conſentinos nominaſſet, ſubdit. *Et ex oculis noſtris nuper ablatum* THYLESIUM ...

ANTONII THYLESII

OPERA EDITA.

IMBER AUREUS. Tragoedia. *Venetiis*. MDXXIX. opera Bernardini Vitalis cum privilegio. 4°. In hac editione poſt Fabulae argumentum, ſubjiciuntur haec.

Ex hac igitur re Antonius Thyleſius *Conſentinus Tragoediam, quae* Imber Aureus *inſcribitur concinnavit, ubi metus ſunt varii, querelae, fletus, minae, atque etiam pugnae caedeſque, quae omnia paſſim illuſtrata ſunt ſententiarum ac verborum ſplendore, ſic ut Tragoedia, quo genere poëmatis nihil gravius auditur, Latine videatur loqui non indecenter. Puto non injucundum erit ingenioſis, & eruditis hominibus rem cognoſcere a* Thyleſio *per ocium diligenter compoſitam.*

Norembergae. MDXXX. apud Fridericum Peypus, cum Praefatione Laelii Aleandri, quam recudendam curavimus. 8°.

Baſileae. MDXLV. apud Johannem Oporinum cum aliquot Poëmatiis, libellis de Coronis, & de Coloribus. 8°.

Antwerpiae. MDXLVI. in aedibus Johannis Steelſii, cum aliis Opuſculis. 8°.

POEMATA. *Romae* anno MDXXIIII. menſe majo in aedibus F. Minitii Calvi. 4°. Hujus editionis exemplar pergamena charta impreſſum eſt apud nos.

ARANEOLA, & CICINDELA. *Venetiis* MDXXVIII. opera Bernardini Vitalis, cum libello de Coloribus. 4°.

Pariſiis. MDXXIX. apud Simonem Colin. cum Hier. Vidae Lud. Scacch. 8°.

Hanoviae. MDCXIX. in Amphith. Sapientiae &c. Gaſparis Dornavii.

CYCLOPS & GALATEA. *Tiguri* anno MDXXXI. ex aedibus Chriſtophori Froſchoweri, cum hac praefatione. 8°.

Tigurinae Juventuti S. Quum novam Antonii Thyleſii *viri doctiſſimi Tragoediam, quae* Imber Aureus *inſcribitur tam avide amplexi ſitis, ut eam etiam magnifice feliciterque frequentiſſimo in Theatro arte ſcenica egeritis, ubi Graecas, & Latinas ſubinde Fabulas non ſine laude luditis, arbitror equidem me vobis rem gratam, omnibuſque Poëticae ſtudioſis facturum; ſi ejuſdem* Thyleſii *Poëmata* Cyclops, *&* Galatea *typis excuderem. Sed & alia* Thyleſiii *noſtri Poëmata, quae apud nos adhuc latent expectate, & valete. Tiguri XII. die Martii Anno MDXXXI.*

DE CORONIS. *Romae* MDXXV. menſe Februario apud F. Minitium Calvum. 4°. Co-

Coloniae. MDXXXI. 8°.

Baſileae. MDXLV. apud Johannem Oporinum. 8°.

DE COLORIBUS. *Venetiis*. MDXXVIII. opera Bernardini Vitalis. 4°.

Pariſiis MDXXIX. apud Chriſtoph. Wechelium, cum Pauli Aeginetae de Criſi &c. 8°.

Baſileae. MDXLV. apud Johannem Oporinum, cum libello de Coronis. 8°.

Pariſiis. MDXLVI. apud Chriſtoph. Wechelium. 8°.

ibidem. MDXLVIII. apud Gazel., cum Ariſtotelis, vel Theophraſti de Coloribus, & Actuarii de Vrinis. 8°.

Baſileae MDXXXVII. apud Hier. Frobenium, cum Lazari Bayphii de Re Navali &c. cum hac praefatione 4°.

Cum permulta, Lector, a Bayphio in Libello de Re Navali, & Veſtiaria, potuiſſent dici, quae ad Colorum varietatem cognoſcendam viderentur apprime eſſe neceſſaria: ne tamen id a ſua diligentia requireres, quod ab alio tractatum jam fuerat, & elegantiſſime explicatum; maluit vir prudens, tuaeque utilitatis amantiſſimus authorem ipſum, a quo haec copioſe deſumas his libellis ſubnectere, quam ipſemet deſumſiſſe, & ſuis ſcriptis inſeruiſſe: ne videretur bonum authorem propria dignitate ac laude ſpoliare velle. Qui animus utinam permultis idem eſſet, a quibus quotidie novi, neſcio quid, prodit. Scirent certe omnes quorum rerum quiſque verus eſſet inventor; quis honor, quaeque gloria iis eſſet tribuenda, qui ſuis ſcriptis ſtudioſorum laborem magnopere ſublevarent. Vale.

ibidem MDXLI. apud Nicolaum Epiſcopium. 4°.

Lutetiae MDXLIX. apud Robertum Stephanum. 4°.

& *tom. IX.* Theſauri Gronovii.

ORATIO in funere Joh. Jacobi Trivultii. *Mediolani* MDXIX. menſe Februarii per Auguſtinum de Vicemercato. 4°.

IN ODAS Horatii Flacci AUSPICIA ad Juventutem Romanam, ſine temporis, vel typographi notatione, ſed uti videtur *Romae* apud F. Minitium Calvum. 4°.

Venetiis MDLIX. apud Joh. Mariam Bonellum, cum Horatii Operibus variorum notis illuſtratis. fol.

EPISTOLA ad Alexandrum Cacciam Florentinum ob Clementis VII. Pontificatum Maximum. *Romae* MDXXIII. 4°.

EPISTOLAE IV. *Venetiis* MDLVI. apud Paulum Manutium A. F. cum epiſtolis Cl. Virorum. 8°.

ibidem. MDLXVIII. ex Typographia Dominici Guerrei. 8°.

Coloniae Agrippinae MDLXXXVI. apud Johannem Gymnicum. 8°.

Epitaphia Heroica.

Thyleſius ipſe (*de Coronis*) Ad hoc ipſe reſpexi cum de Achille loquerer in *Heroicis Epitaphiis*, quae plurima ſingulis jampridem luſi Carminibus.

Thetis, Charites vel Fraga, & Prometheus.

Geſnerus (*Bibliotheca*) Habet praeterea D. Rhodulphus Collinus noſter Idyllia, ſive poëmatia ſex hujus auctoris (*Antonii*), videlicet *AEneam*, *Lucernam*, *Thetyn*, *Charites* vel Fraga, *Arundinem*, & *Prometheum*.

ex his AEneas, *Lucerna*, *&* *Arundo ſuperſunt*.

de Ortu Archintorum.

Simlerus, *&* *Friſius* (*ad Geſneri Biblioth.*) Scripſit etiam (*Thyleſius*) Carmine de *Ortu Archintorum*.

Phaenix.

Quadrimanus (*Lettere*) La *Fenice* del *Teleſio* è una delle più belle Compoſizioni. *Ad haec Matthaeus AEgyptius*. La *Fenice* di *Antonio Teleſio* noi non l'abbiamo fra le altre ſue Opere ſtampate.

Phaenicem italice vertit Franciſcus Baro. *Quadrim.*(*ibid.*) Anzi mi ſcrive, che fra due o tre poſte m' inviera (*Franceſco Barone*) la traduzione della *Fenice*.

Rhodos.

Idem (*Iſtoria di Coſenza MS.*) *Antonio Teleſio* ..... in un ſuo Poema intitolato *Rhodos*......

Theocriti Syringis Latina Verſio.

Lilius Gregorius Gyraldus (*Hiſtoria Deor. Syntag. XV.*) Extat apud Theocritum Panos Fiſtula miro carminum artificio confecta, & aenigmati pene par. Expoſita eſt ab Johanne Pediaſimo Cartophilace, quam etiam in Latinum convertit non infeliciter amicus meus *Antonius Thileſius*.

Fortunius Licetus (*Ad Syringam Theocriti*) Veſionem autem *Antonii Thileſii*, quam non infelicem laudat Gyraldus videre mihi non licuit.

Grammatica.

Ziliolius (*Iſt. de' Poeti Ital. MS.*) *Antonio Tileſio*... fece un Trattato di *Gramatica* con belliſſimo ordine.

Epistolarum libri II.

Qua-

Quadrimanus (*degli Uomini illuſtri Coſentini MS.*) *Antonio Teleſio*... ſcriſſe *due libri di Epiſtole*, che non ſono date ancora fuori.

Annotationes in Horatium, Virgilium, Juvenalem, M. Tullii Philippicas, & Svetonii Vitas.

Idem (*ibid.*) Ma alcune *brevi Spoſizioni*, ch' egli fa ſopra Orazio, Vergilio, Giovenale, e ſopra le Filippiche di M. Tullio, e le XII. Vite di Svetonio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SELECTA DOCTORUM VIRORUM DE ANTONIO THYLESIO

Ejuſque Scriptis

TESTIMONIA

PAULLUS JOVIUS

Elogia Virorum litteris Illuſtrium. Baſileae 1577. *fol.*

ANTONIUS TILESIUS. Hic varia tenuique materia, & minuto ſemper lemmate delectatus, non ignobilis Poëtae nomen tulit, quum in parvis ſingularis, & plane conſpicuus eſſe mallet, quam in grandi charactere, veluti unus de populo in turba tot vatum trita, & centies repetita canentium, mediocris, & obſcurus. Deſcripſit enim lepide, & diligenter nonnulla curta Poëmata inexpectati, ac ideo feſtivi ſemper argumenti; & in his Zonarium Reticulum, quo Sacerdotum ſerica crumena ſuſpenditur: Fictilemque Lucernam, tantum ſibi olei dum Muſas coleret, exorbentem: & lucentem noctu volucrem Cicindelam, puerorum luſibus opportunam. Reliquit & Tragoediam, in qua Danaëm ſub Aurei Imbris nomine, cum multo ſententiarum, verborumque ſplendore expreſſiſſe judicatur: ac item breves Libellos de Coronis, atque Coloribus Grammaticis, rei novitate gratiſſimos. At Romae in Gymnaſio Horatium comiter, & tenere profeſſus ſacerdotium a Giberto promeruit, effugitque cladem Urbis, ut in patria non plane ſenex interiret.

LATOMI.

Pauca millia verſuum, THYLESI,
Te, *nec fallimur*, *edidiſſe conſtat:*
Vives millia multa ſaeculorum;
Et gratas neget eſſe quis Camoenas?

LILIUS GREGORIUS GYRALDUS

Hiſtoria Deorum Syntagm. XV. *Lugduni Batav.* *1696. fol.*

EXtat apud Theocritum Panos Fiſtula, miro carminum artificio confecta, quae obſcuriſſima cum ſit, & aenigmati pene par, expoſita eſt ab Johanne Pediaſimo Chartophylace, quam etiam in Latinum convertit non infeliciter amicus meus ANTONIUS THYLESIUS.

IDEM

Dialogus I. de Poëtis ſuorum temporum. Ibidem.

VIdimus & ANTONII THYLESII Carmina, etſi preſſa illa quidem, erudita tamen, nec ſine cultu.

JO-

JOHANNES BAPTISTA EGNATIUS

Epiſtola ad Romulum Amaſaeum, inter Epiſtolas Clarorum Virorum. Venetiis 1556. 8°.

IN THYLESII noſtri locum viri ſane & egregie litterati, & certe plus boni, quam haec ferant tempora, cupio te adſciſcere.

JOHANNES MATTHAEUS TOSCANUS

Peplus Italiae lib. II. *num.* CIII. *Pariſiis* 1576. 8°.

*S*UAS THYLESIUS *minutiore*
Muſas lemmate, ſed novo, & faceto
Sic exercuit, ut decus Poëtae
Ferat perlepidi, ac perelegantis.
Sic Natus Veneris, vel Adriani
Puer, quos animavit arte caelum
Longe plus oculos tenent peritos,
Quam moleſve gigantis in venuſta,
Dolutuſve manu rudi coloſſus:
Hoc & THYLESIUS *videbat, unde*
Ducit pulchrius eſſe, judicetur
Si, dum parva canit, Poëta magnus,
Quam ſi magna canens Poëta parvus.

THYLESIUS Conſentinus in tenui materia ſemper verſatus egregii Poëtae nomen meruit. Extant ejus Poëmata, quae Clemente VII. P. M. publicavit.

MAT-

Digitized by Google

MATTHAEUS BANDELLIUS

Novelle par. III. In Londra 1740. 4°. *Lettera a Monſignor Gloriero.*

DOpochè un dì nel Convento delle Grazie di Milano in compagnia del dotto M. Stefano Negro, di M. Valtero Corbetta, uomo nell' una, e nell' altra lingua erudito, e (ſe mal non mi ſovviene) credo che ci foſſe anche M. ANTONIO TILESIO... de' Commentarj delle Lezioni Antiche di M. Celio Rodigino a lungo ragionammo.

LEANDER ALBERTUS

Deſcrizione d' Italia. In Bologna 1550. *fol.*

PRoduſſe anco (*Coſenza*) Giovanpaolo Parraſio ornato di Lettere Greche, e Latine con ANTONIO TILESIO, Giovanni Craſſo....

JOHANNES ANTONIUS PANDOSIUS

De Coena Domini. Epiſtola dedicatoria ad Petrum Antonium Sanſeverinum. Romae 1534. *fol.*

E Quibus (*Conſentinis*) ne omnes recenſeamus, noſtra aetas Parrhaſium in primis eſt admirata, rerum gravitate, & dicendi copia nemini ſuae aetatis inferiorem, & ex oculis noſtris nuper ablatum ANTONIUM THYLESIUM, & carmine, & oratione

tione inſignem, ac nemini ſecundum, & utrumque in utraque lingua praeſtantem, qui ambo immatura morte intercepti complures ſtudiorum ſuorum labores imperfectos reliquerunt.

JACOBUS AUGUSTUS THUANUS

Hiſtoriarum lib. LXXXIX. *ad ann.* CIↃ IↃ LXXXVIII. *t. IV. edit.* 1626. *fol.*

OCtobri ineunte Conſentiae, quae illi patria erat in Calabria ultimum diem clauſit Bernardinus Teleſius, qui ANTONIUM patruum habuit philoſophicis ſtudiis celebérrimum, ab eoque Mediolani inſtitutus.

ANTONIUS TEISSIERIUS

Eloges des Hommes Sçavans t. II. A Utrecht 1697. 8°.

ANTOINE TILESIO ſon oncle (*du Bernardin*) étoit auſſi un homme d'un gran ſçavoir, & il a donné au public pluſieurs ouvrages en proſe, & en vers.

GA-

GABRIEL BARRIUS

De Antiquitate, & Situ Calabriae lib. II. cap. VII. *Romae* 1737. *fol.*

FUit & ANTONIUS TELESIUS vir impenſe eruditus.

THOMAS ACETUS

Adnotationes ad Barrium. Ibid.

ANTONIUS TELESIUS patruus, & magiſter Bernardini, Philoſophus, Orator, & Poëta celeberrimus.

SERTORIUS QUADRIMANUS

Lettere lib. I. lett. XIII. *a Franceſco Barone. In Napoli* 1714. 8°.

LA Fenice del TELESIO è una delle più belle compoſizioni, che poſſa farſi in queſto ſoggetto, e gareggia colle prime degli antichi..... Avrà V.S. con queſta un' altro Poema dell' iſteſſo TELESIO intitolato da lui *Orpheus*, il quale è così dotto, e così maraviglioſo, ch' egli medeſimo vi ſcriſſe ſopra *hoc imprimatur omnino*. Veggialo con diligenza, che il giudicherà tale, quale è ſtato giudicato dagli altri.

IDEM

IDEM

Lettere lib. I. lett. xx. *a Giovanvincenzo Egidii.*

MAndo a V. S. una compoſizione del Signor Antonio Telesio intitolata da lui *Uranos*, e fatta ſopra un viaggio, che fece un Signore de i primi di Milano a Napoli, che fu grande amico del Telesio, e ſe non fuſſe morto ne i primi anni della ſua giovanezza l' avrebbe arricchito. Il Poema è tanto vago, così puro, e dolce, e grande, che non ſi potrebbe far migliore dall' iſteſſo Virgilio. Procacciarò l' altre compoſizioni dell' iſteſſo autore, poiche ella tanto dimoſtra averle care, e le manderò ſubito.

IDEM

Iſtoria di Coſenza MS. Apud nos.

SI accenna . . . . . da Antonio Telesio noſtro Cittadino, e Poera così chiaro, e di tanto pregio, che non cede punto agli antichi in un ſuo Poema intitolato *Rhodos*, ch' io non metto perche è alquanto lunghetto.

IDEM

Degli Uomini illuſtri Coſentini MS. Apud nos.

ANtonio Telesio ebbe molte lettere, e molto ripoſte, e fu uno de' più puliti Scrittori

ri del ſuo tempo. Leſſe anche nella ſua giovanezza in Milano con molto applauſo di tutta quella Nobiltà, e poi in Roma, e andavano ſpeſſo ad udirlo Cardinali, e altri gran perſonaggi. Scriſſe un libro de' Colori, ed un' altro delle Corone in proſa, e due libri di Epiſtole, che non ſono ancora date fuori con uno ſtile niente lontano dal dire di Cicerone, e di Ceſare. Ma alcune brevi Spoſizioni ch' egli fa ſopra Orazio, e Vergilio, e Giovenale, e ſopra le Filippiche di Marco Tullio, e le XII. Vite di Svetonio, non ſo io perchè ſieno tenute naſcoſte con tanto danno degli ſtudioſi di belle lettere: e ſono in vero coſe da metter maraviglia a chiunque ha vaghezza di sì fatte leggiadrie; poichè non dice ſe non coſe riposte, e ſcioglie i nodi, e le malagevolezze, che in queſti autori s' incontrano, e ciò fa con tante poche parole, che par che contenda di brevità con gli ſteſſi autori, che ha impreſo a dichiarare.

FRANCISCUS SANSOVINIUS

Iſtoria delle Famiglie illuſtri d' Italia. In Venezia 1609. 4°.

ANTONIO TILESIO Coſentino nell' Orazione ch' egli diſſe l' anno 1518. per la morte di Gianjacomo Trivulci, afferma che queſta Famiglia diſceſe di Borgogna in Italia da un Caſtello chiamato Trivulcio ne' tempi di Diocleziano Imperadore.

AUCTOR

AUCTOR

Libelli de Rebus Conſentinis MS., *qui ſub nomine Bernardini Martyrani circumfertur*. *Apud nos*.

INter hos (*Teleſios*) eminet ANTONIUS TILESIUS junior, qui nuper e vivis exceſſit, cujus fama ad exteras quoque nationes permeavit non ſine etiam noſtrae Civitatis gloria, quam vir ille praeclariſſimus illuſtriorem ingenii ſui monimentis reddidit.

JOHANNES PAULLUS DE AQUINO

Orazione in morte di Bernardino Teleſio. *In Coſenza* 1596. 4°.

CHe dirò di ANTONIO TELESIO zio di queſto, il quale ſcriſſe così candidamente, che i Letterati Germani dicono, che parla con la lingua di Plauto, e di Cicerone; e diffuſe la ſua dottrina per tutti gli Studj d'Italia . . . . .

HIERONYMUS SAMBLASIUS

Ragguaglio di Coſenza, *e di XXXI. ſue Nobili Famiglie*. *In Napoli* 1639. 4°.

RIſplende parimente in queſta ſchiatta (*de' Teleſi*) un' altro ANTONIO eminentiſſimo in tutte

Digitized by Google

tutte le ſcienze, e nella noſtra paſſata età molto chiaro e famoſo.

ALEXANDER ZILIOLIUS

Iſtoria de' Poeti Italiani MS. Cujus autographon adſervatur in Biblioth. Angelica Aproſiana.

COſenza Città nobile di Calabria ha prodotto ANTONIO TILESIO, il quale in Roma ne' tempi di Clemente VII. fu in concetto di buon Letterato, ed ebbe il carico di leggere i Poeti Latini nelle pubbliche ſcuole di quella Città favorito da Matteo Giberti allora Datario, e che fu poi Veſcovo di Verona. Scriſſe egli diverſe Poeſie, ma tutte burlevoli e facete, eccettuata una Tragedia intitolata Pioggia d'Oro, e fece un Trattato di Gramatica con belliſſimo ordine. Morì nella patria di aſſai freſca età, dove s' era ricoverato fuggendo da Roma in quel tempo, che fu dagli eſerciti di Carlo V. miſeramente ſaccheggiata, laſciando erede delle ſue ſoſtanze, e della virtù inſieme Bernardino Teleſio, che nacque d'un ſuo fratello, il quale . . . . .

HIE-

HIERONYMUS MARAFIOTUS

Croniche, ed Antichità di Calabria. In Padua 1601. 4°.

E' Stato cittadino Coſentino ANTONIO TILESIO uomo molto dotto, che ſcriſſe . . .

NICOLAUS TOPPIUS

Biblioteca Napolitana. In Napoli 1678. fol.

ANTONIO TELESIO gentiluomo di Coſenza Oratore, e Poeta celebre.

NICOLAUS AMENTA

Vita di Monſig. Scipione Paſquale. In Vinegia 1703. 8°.

IL celebratiſſimo ANTONIO TELESIO da allogarſi ragionevolmente tra quei, che fiorirono nel fortunato ſecolo di Ottaviano Auguſto, non che tra gli antichi Latini.

IDEM

Rapporti di Parnaſo. In Napoli 1710. 4°.

PErchè ANTONIO TELESIO fra l'altre Opere degne d' immortal memoria, compoſe un Trattatino de' Colori.

JANUS VINCENTIUS GRAVINA

Epiſtola ad J. Gabrielem Reginerium, inter Opuſcula. Trajecti ad Rhenum 1713. 8°.

POëtarum autem veterum ſplendor, vis, ubertas, & artificium in noſtris hominibus ita revixit, ut ſecundum Virgilium, Catullum, Horatium, eoſque omnes, qui aurea, quam vocant aetate, concluduntur, collocandi merito ſint Sannazarius, Fracaſtorius, Capycius, Rota, Cotta, Vida, ANTONIUS TELESIUS, ejuſque civis Martyranus, Navagerius, Caſtalio, Flaminius, Pontanus ....

JOSEPH CARAFA

De Gymnaſio Romano lib. II. cap. 1. *Romae* 1751. 4°.

ANTONIUS TILESIUS Conſentinus excelluit gloria Oratoriae artis, atque Poëticae in Romano Gymnaſio.

SAL-

SALVATOR SPIRITEUS

Memorie degli Scrittori Coſentini. In Napoli 1750. 4°.

ANTONIO TELESIO. Queſti che nella memoria degli uomini vive, e viverà maiſempre annoverato tra' più colti, e puri Scrittori Latini del ſecolo XV. nacque in Coſenza il 1482. traendo i natali dalla nobile altrove mentovata famiglia de' Teleſj. Datoſi egli con fervore a coltivare le buone Lettere, ed allo ſtudio della Greca, e Latina eloquenza uno de' più chiari Poeti, ed Oratori divenne de' tempi ſuoi . . . . . Sciſſe così nel miſurato, che nello ſciolto ſermone con egual maeſtà e leggiadria. E volle anzi ſopra ſoggetti umili, ed in coſe picciole renderſi ſingolare, che riandando le materie già trattate, e viete meſcerſi con la ſchiera di coloro, che non ſanno altro fare, che con poco ſano diſcernimento degli altrui concetti inveſtirſi . . . . .

JOHANNES BERNARDINUS TAFURIUS

Iſtoria degli Scrittori nati nel Regno t. I. *p.* II. *In Napoli* 1750. 8°.

ANTONIO TELESIO illuſtre non meno per naſcita, che per ſapere, uſcì d' una famiglia nobile della Città di Coſenza, e benemerita al ſommo delle buone Lettere. Sin da giovine applicò l' animo ſuo allo ſtudio dell' Eloquenza, ed al purgato ſcrivere Latino, nel quale in brieve tempo fece tanto profitto, che comunemente fu reputato per uno

de' più ſaggi Oratori, e de' più purgati Scrittori Latini dell' età ſua, la quale ſopra d' ogni altra ne fu abbondante e copioſo.

GERARDUS DE ANGELIS

Proſe par. II. In Napoli 1758. 8°.

SOl riguardo a' Tragedi, in leggendoſi fra l' Operette del maggior TELESIO la ſua Latina Pioggia d' Oro, ove, oltre la bella e caſta locuzione, ſi ammira la prudentiſſima, ed artificioſa economìa della Favola, e la decente ſentenza, che naturalmente ſpiega i proprj e convenevoli coſtumi delle perſone; chi non leggerà manifeſto, che ne ſia ritornata una di quelle perdute già de' politiſſimi Antichi, il cui luogo, à torto, ſecondochè il Gravina ſcriſſe, occupò Seneca, privo del candor puro Latino, ed uſante declamatoria favella?

Praeter

Praeter hos de Antonio Thylesio meminerunt

Salernus (*Sylvae*)
Gesnerus (*Bibliotheca*)
Simlerus, & Frisius (*Ad Geſneri Bibliotb.*)
Koningius (*Bibliqth.*)
Wander-Linden (*de Scriptis Medicis*)
Spera (*de Nobilit. Profeſſ. Grammat.*)
Nicodemi (*Giunte a Toppi*)
auctores (*Geographiae Blawianae*)
Merula (*Coſmographia*)
Niceron (*Memories*)
Maittaire (*Annales Typographici*)
Castilioneus Maurellus (*de Patric. Conſent. Nobil.*)
de Amato (*Pantopologia*)
Moreri (*Dictionaire*)
Lotterius (*Vita Bernardini Teleſii*)
Egizio (*Vita di Quattromani*)
Aliique.

Digitized by Google

PAULLI MOCCIAE

Graecarum Latinarumque litterarum in Regio Ephebeo Profeſſoris

ad

FRANCISCUM DANIELEM

EPISTOLA.

FRANCISCO DANIELI

JUVENI PERILLUSTRI

PAULLUS MOCCIA

Χαίρειν ϗ εὐπράττειν.

EN *tandem divino prorſus conſilio factum eſt, ut, quae invidum ſane, rerumque omnium edax tempus tamdiu hominum genus celaverat, denſiſque tenebris circumſepta tantum non abſumſerat, hoc fortunatiſſimo ſeculo, ab interitu vindicata, publicam in lucem prodirent. Ad CC. annos & amplius, clariſſimi* Antonii Telesii *quantivis pretii Opera delituerant, ſituque paene corrupta marcuerant; &, quod caput eſt, nulla affulgebat ſpecula fore, ut e tenebris emergerent, ſqualoreque deterſo hominum conſpectum, lucemque intuerentur. Quodque deſperatum profecto, atque conclamatum opus videbatur; illud, te uno, quali quantoque juvene! accurante, & expeditum eſt celerrime, atque ad exitum perductum quam feliciſſime. Ipſe enim nulli peperciſti labori, nullas non exhauſiſti difficultates, nihilque tandem intentatum reliquiſti, quo omnia penitus laudati Auctoris Opera undique diligenter conquiſita corraderes, inque unum coacta volumen promulgares. Quantum*

tum vero operae pretium feceris, quamque fructuoſe operam collocaveris tuam, is haud dubie intelliget, qui vel defunctorie tanti viri, tamque praeclare de litteraria republica meriti divinas lucubrationes percurrerit. Tot quidem, tantiſque abundant ingenitis bonis, iiſque in oculos nulli non incurrentibus, ut quid prius mirere, quidve poſterius, ambigas oporteat. Tanta enim ſe prodit elegantia, puritas, nitor, tantaeque enitent veneres, ubi proſa utitur oratione, ut nihil cultius, nihilque ornatius optari poſſe videatur. Quod ſi ad ea, quae metro adſtricta ſcripſit, oculos, animumque converteris, mirum profecto erit, ſi tibi conſtiteris. Jam ad ea te derepente tempora, neſcio quanam occulta vi, impetuque pertractum, ac ſenſim ſine ſenſu translatum intelliges, quae Landinum Vatem, Venuſinumque Alumnum tulerunt. Abſit vero, ut iſthaec inter paradoxa amandentur. Siquidem ANTONII TELESII *elegantiſſima juxta atque puriſſima Poëmatia ita Achillis Statii, ac poſtea Joſephi Scaligeri (proh quam emunctae naris viros, quamque ſagaces!) oculos praeſtrinxerunt, ut illa tanquam diu, ſeu temporum injuria, ſive hominum inertia atque incuria, tenebris conſepulta, demumque eruta, atque vitalis lucis uſura iterum donata, jure poſtliminii Caſſio Parmenſi vindicaverint. Neque* σφάλμα τῦτο ἀναχρονιςικὸν *detectum patuiſſet, ni ipſemet Sertorius Quadrimanus, qui Achilli Statio impoſuerat, ſive dedita opera, ſive imprudens in quadam epiſtola ad Franciſcum Baronem, qui tum in philologicis facile primas ferebat, quae inferne poſuimus* (†), *ſcripſiſſet.*

(†) QUATTROMANI (*Lettere lib.* I. *lett.* XIII.) Avrà V. S. con queſta un' altro Poema dell' iſteſſo TELESIO intitolato da lui *Orpheus*, il quale è così dotto, e così maraviglioſo, ch' egli medeſimo vi ſcriſſe ſopra: *hoc imprimatur omnino*. Veggialo con diligenza, che il giudicherà tale, quale è ſtato giudicato dagli altri.

ſet. At enim cui hoc acceptum referendum eſt? Incomparabili profecto tuae induſtriae, atque ἀκαμάτῳ ἀρχαιολογίας ſtudio, quod paene una cum ipſo lacte hauſiſſe videris. Jam vero, ut omnia omnibus numeris abſolveres, operique feliciter incepto, atque ad umbilicum laudabiliter perducto coronidem imponeres, quae ceteri ſparſim, pro re nata, atque aliud agendo de Antonio Telesio *litteris conſignata reliquerunt, ea Tu, tanquam Abſyrti diſiecta membra naviter colligens ita affabre compegiſti, ut uno prorſus tenore, continentique ſerie, atque ab uno eodemque auctore profecta & exarata eſſe videantur. Proh quale, & quam verſatile ingenium! Ecquid enim, amabo, eſt tam retruſum, quod non luce meridiana clarius reddis? quid tam a vulgari cognitione remotum, quod non ita facile aſſequeris, tanquam ſi de trivio, nulloque labore peteretur? Poſtremo ne longus ſim, omnibus his unum tantummodo addam, quod nemo ni fallor negaverit, nimirum te ita purum putumque aureorum Scriptorum dicendi genus probe callere, ut nativo puritatis candore atque elegantia, quaecumque publici juris feciſti, ſe commendare videantur. Haec me neque aſſentandi cupiditate, neque veritatis infuſcandae gratia ſcripſiſſe; ſed tantum ut quae ſentiebam ingenue aperirem, neminem omnino fore confido, qui inficias ſit iturus. Jampridem animis omnium, quibus cor ſapit, ac palatum, iſta inſedit opinio, te ſupra tenerae aetatis vires, ea iſtud aetatulae edidiſſe ingenii experimenta, quae nonniſi a conſummatae litteraturae viro, eoque ſubacti ingenii expectari poſſe videbantur. Qua de re te etiam, atque etiam oro obteſtorque, ut haec qualia ea cunque ſunt, aequi bonique conſulas, tibique perſuadeas me tibi, tuaeque famae tantum eſſe addictum, quam qui maxime. Quod ſi feceris, uti non deſpero te facturum, me tibi benificii memoria devincies ſempiterna. Marchionem Salvatorem Spiriteum, virum omniugena, qua ad miraculum uſque excolitur, eruditione, hujuſce ſeculi lumen ac ornamentum, cujus quotidianae*

con-

conſuetudini tantum debes, ut, quidquid es, te illius ope aſſecutum non injuria prae te feras, a me ſi plurimum ſalvere juſſeris, per mihi gratum facies. Vale.

Ex Aedibus Regii Ephebei Kalendis Martiis CIↃIↃCCLXII.

Digitized by Google

Adm. Rev. P. Gerardus de Angelis ex Minimorum Familia revideat, & in ſcriptis referat.

Datum Neapoli 10. *Septembris* 1762.

PHILIPPUS EPISCOPUS ALLIFANUS VIC. GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

ANTONII THYLESII Conſentini Opera, immortalitate digna, litterarum quodam fato, jamdudum ſitu & ſquallore obſita in tenebris jacuere; nunc vero habenda gratia eſt *Franciſco Danieli*, adoleſcenti optimo, egregio; qui accuratius illa recognovit, typiſque nitidiſſimis edi curavit: & quo nihil ad THYLESII ſolidam laudem deeſſet, illius Vitam, & Studia litterarum ſingulari diligentia, eleganterque deſcripſit. Quae quidem quum non ſine voluptate perlegiſſem, nec quicquam offendiſſem, quod Chriſtianis inſtitutionibus, aut bonis moribus adverſaretur, digna cenſeo, quae publico bono in lucem prodeant.

Ex Aedibus S. Mariae Stellae XI. Kal. Octobris CIƆIƆCCLXII.

Eminentiae Tuae

Devinctiſſimus, atque obſequentiſſimus
F. Gerardus de Angelis ex Minimorum Familia.

Attenta relatione Domini Reviſoris, imprimatur. Datum Neapoli 20. *Septembris* 1762.

PHILIPPUS EPISCOPUS ALLIF. V. G.

JOSEPH SPARANUS C. D.

Adm. Rev. P. D. Cajetanus Maria Capece ex Clericor. Regul. Theat. Familia, & in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Datum Neapoli die 2. Januarii 1761.

NICOLAUS DE ROSA EPISC. PUTEOL. CAPP. MA.

S. R. M.

Opuſcula Clarorum virorum, praeſertim Nobilium Regni noſtri, ne depereant, nobis ſatagendum omnino eſt: ea ſunt veluti gemmulae quaedam pretioſiſſimae auro commiſtae. Laudanda igitur illorum induſtria, qui ea diligentiſſime conquiſita in clariorem lucem proferre curant: probandaque maximopere nunc eſt ſollertia perquam eruditi Juvenis *Franciſci Danielis*, qui expiſcatis undique Cl. viri ANTONII THYLESII Patricii Conſentini ſparſim editis Opuſculis, novam eorum, atque integram curat editionem; de ſuo addens Auctoris Vitam elegantiſſime ſcriptam. Quae omnia cum ſedulo legiſſem, nec quidquam offendiſſem, quod juribus Majeſtatis vel minime adverſaretur, in publicum emitti poſſe cenſeo, ſi Tua auctoritas accedat.

Ex Aedibus SS. Apoſtolorum XV. Kal. Februarii CIƆIƆCCLXI.

Majeſtati Tuae

Addictiſſimus Subditus

Cajetanus Maria Capycius C. R. T. Ethicae Profeſſor.

Die 30. Martii 1761. Neapoli.

Viſo reſcripto ſuae Regiae Majeſtatis ſub die 18. currentis menſis, & anni, ac relatione Rev. D. Cajetani Capece de commiſſione Rev. Regii Cappellani Majoris, ordine praefatae Regiae Majeſtatis.

Regalis Camera S. Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma Approbationis Rev. Reviſoris; verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum.

FRAGGIANNI. GAETA. ROMANUS. SCASSA.

Illuſtris Marchio Danza Praeſes S. R. C. tempore ſubſcriptionis impeditus.

Reg. fol.91.

Carulli.

Athanaſius.

ERRATA : CORRECTIONES

Pag. 4. verſ. 1.	*exponet*	*exponit*
p. 27. v. 21.	*pelues*	*pelves*
p. 50. v. 21.	*cermen*	*carmen*
p. 51. v. 5.	*quịn*	*quin*
p. 75. v. 28.	*anceps*	*auceps*
p. 80. v. 11.	*mentivagis*	*montivagis*
p.131. v. 10.	pegno	ſegno
p.133. v. 2.	difende	diſtende

Digitized by Google

ANTONII THYLESII

CONSENTINI

IMBER AUREUS

TRAGOEDIA.

LAELII ALEANDRI
PRAEFATIO

Ex editione Norembergenſi A. cIↃ. IↃ. xxx.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE ROMA

LAELIUS ALEANDER
LITTERARUM STUDIOSIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE ROMA

CVm Tragoedia haec Antonii Thylesii, viri, mediusfidius, ut ejus ſcripta declarant, ingenio, ac varia doctrina expoliti, in manus meas pervenerit, eamque ſemel, iterum, atque tertio integram perlegerim; ſic ipſa ſermonis elegantia, dicendique puritas, ſic paſſim ſervata gravitas, ſententiarumque ſplendor ubique ſeſe mihi offerebant, ut non poſſem non majorem in modum admirari, virum, his temporibus noſtris id ſcriptis ſuis eſſe adſecutum, quod nemo poſt veteres illos, ne attingere quidem auſus eſt. Seneca enim tametſi plenus ſententiarum ſit, arsque fortaſſe, quae praeſtari a ſcriptoribus omnibus praecipue debet, in eo non requiratur, tantum abeſt, ut eum Latine, ac pure locutum eſſe exiſtimem, quae literaturae pars, cui deeſt, omnia fere illi deeſſe fateri neceſſe eſt, ut ob id etiam in Latinorum Scriptorum numerum cooptandum eſſe minime cenſeam. At Thylesius non hac tantum, ſed aliarum quoque diſciplinarum, quam munitus ad ſcribendum acceſſerit, quando ejus ſcripta ſunt in virorum manibus, omnes facile judicare poſſunt. Ac mihi quidem aliquando, haec omnia conſideranti, ob id etiam omnes, qui aliquid poſt auream Ciceronis aetatem ediderunt, hic facile excellere videri ſolet, qui de ſuo, non autem aliena ſcripta invadens, latine ita pure, ac proprie omnia nobis

exponet, ut Plautino, vel potius Terentiano ore eloqui videatur. Nam quotuſquiſque eſt, his praecipue temporibus noſtris, quod pace omnium fari liceat, qui non ita impudenter antiquorum ſcripta expilet, atque inepte in ſua transferat, ut ingenioſis, ac eruditis hominibus ſaepe bilem, interdum etiam moveant jocum? Haec eſt communis, eademque praecipua tempeſtatis noſtrae calamitas. Dum Vergilii omnes, & Cicerones hominibus videri ſtudent, faciunt, ut omnium ſcripta unius tantummodo eſſe videantur, ac ſint, qui exclament furem, non poëtam fabulam dediſſe. Utinam in perlegendis optimis auctoribus tempus omne conſumeremus: utinam naturam optimam ducem in ſcribendo deinde ſequeremur. Sperarem profecto, ut bonae litterae, quae tot ſaecula in tenebris, & quaſi ſepultae jacuerunt, in lucem reſtitui, ac reviviſcere poſſent. Bona enim ingenia ſemper, & ubique floruere. Sed quemadmodum in optimis quibuſque, ac pinguibus agris, nulla tamen agricolarum adhibita ſollertia, evenire videmus, ut inutiles herbae, & plerumque maxime noxiae naſcantur, quae etiam non multo poſt, & ipſae neglectae ſterileſcunt; ſic hominum ingenia, cum nemo ſit, qui recte illa, & ſumma cum diligentia excolat, atque ad bonam frugem perducere ſtudeat, ex ſe ipſa facile intereunt. Quare illud mihi fateri veriſſime liceat, unum hunc Thylesium praeclare de republica litteraria, unde plurimum ei, atque etiam immortaliter homines debent, meruiſſe. Nobis enim non tantum Tragoediam, utiliſſimum ad formandos, excolendoſque hominum mores, pulcherrimumque a diis immortalibus traditum munus, quaſi poſtliminio reſtituit, atque adeo ut nihil in eo deſiderare poſſimus: ſed etiam quo pacto ſcribere debeamus, non ab aliis omnia mutuantes, edocuit. Proinde vos ſtudioſos omnes adhortor, ut alendae, locupletandaeque linguae latinae cauſſa omnem

ope.

operam, & ſtudium veſtrum conferatis: quod vobis erit facilius, ſi bonos tantum modo auctores, qui ad parandam dicendi facultatem, & copiam mirifice faciunt, in manibus habere, atque in ſcribendo genium veſtrum ſequi volueritis. Valete.

Digitized by Google

PERSONAE.

Acrisius.
Nuncius.
Chorus ex Argivis mulieribus.
Danae.
Nutrix.
Pyracmon.
Steropes.
Brontes.
Polyphemus.
Cyclopum turba.
Nuncius alter.

ARGUMENTUM.

Rogat Acriſius Argivorum rex Nuncium, a Delphico oraculo, quo illum miſerat, redeuntem, quid ſibi ex Apollinis ſententia agendum ſit de Danaë filia jam nubili, cujus ducendae in uxorem gratia flos Graeciae Argos convenerat. qui ſimulatque accipit, ſe ab eo, quem illa pareret, interfectum iri; a nuptiis abſtinet, puellamque in turri ferrea ejus rei cauſsa a Vulcano, & Cyclopibus tunc facta includit. At Juppiter, forma virginis captus, in pluviam auream mutatus, illam vitiat: quod cum rex comperiſſet, filiam in arca lignea clauſam in mare abjicit.

ANTO-

ANTONII THYLESII

IMBER AUREUS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ACTUS I.

Percontatur Acriſius Nunciu.n, quum is ex Apollinis Delphici fano rediiſſet; auditoque Rex oraculo valde queritur.

ACRISIUS. NUNCIUS.

Acr. *TANDEM reverſus ades. age, hic renuncia,*
Tacitus alibi fiduſque, quod ſcis neſciens,
Nuptum dari cui Pythius natam jubet,
Solus ſupremi conſcius ſemper Jovis?
Adeſt frequens parata ferro cernere
Jam jam juventus nuptias Achaica.
Cordi nec eſt prae ceteris quiſquam mihi.
Par eſt in omnibus vigor, ſeu curſibus
Certant leves ſuperare Lyncas per nemus,
Aërivagas ſeu ſpiculis ſternunt aves,
Ipſiſque nubibus petunt praedam aucupes,
Pulvere libet vel equos agere celeripedes.
Nec regium nulli vetus claret genus.
Aetas quoque eadem vix genas veſtit nova.
Unum velut vellere velit virentibus
Si quis roſariis puer florem, ambigit

Potiſſimum ſibi legat quem ex omnibus,
Ita unus ad ſe quiſque flos dextram rapit;
Sic me procorum turba diverſum trahit,
Generum mihi nunc maxime quem ſeligam.
Sequar te Apollo non minus mortalium
Obſcura, clara, voce qui reddis tua,
Quam noctis umbras pellis adducens diem,
Caecamque radiis diſſipas caliginem.

Nun. *Ubi Delphicam Rex attigi Pytho, ultimus*
Tot millium conſulta flagitantium,
Primus redirem ut certior factus domum,
Pythona profero aureum. ſtupor omnium
Invaſit animos illico. ad caelum manus
Tollunt. Deo tandem videri munera
Digna, diademate teque dignum praedicant,
Exhilarat aliquos nam ſacerdotum quoque
Auri nitor, mentem ſerenans nubilam.
His atque ſuccollantibus, gazae decus,
Serpens reconditur intimis penetralibus.
Vixque immolatis victimis balantibus,
Jam Phoebas horrida furit, haec ore intonans:
Quo te puer agis alipes caelum petens?
Laevaque geſtas quid caput amictum anguibus?
At at, lapis fit, unde natum hominum eſt genus.
Avum ſed heu cur impie extinguis nepos?
Sic fata, mentis exſpuit vecordiam,
Deferbuit ac omnis animi rabies feri.
Quare tibi Rex conſule, monitus ſemel.
Oſor ſui quem amat? vel eſſe cui poteſt
Carus, ſibi vilis, volens qui ultro occidit?

Acr. *O vana ſpes, ubi ſenectae jam gravis*
Quies videbatur, necis terret metus.
O quis reſervas me malis inimica Sors?
Ut filia parenti pariat ingens nefas,
Atque impia nepos avum caedat manu,
Vetulus ut onere bos jugi feſſus diu

Verbere

Verbere cadit agricolae immemoris ictus gravi,
Animamque non meritam emeritus edit gemens.
Nun. *Ubi eſt malum vitare, quis debet queri?*
Gaudere potius, fugere quia potis eſt malum.
Acr. *Auxi opibus iccirco, & triumphis regiam,*
Ut eſſet ante deſtinatum qui diem
Sceptris potitus, praemio lethum daret?
Nun. *Id equidem opinor eſſe lamentabile,*
Es de quibus bene meritus, male cum merent.
Acr. *Jam jam tui me nata miſeret, quae, velut*
Formoſa circum vitis ulmos conſitas
Procul tuetur, nec habet, ut ſe ſublevet,
Jacens ſed incomplexa humi ſterilis ſenet,
Eris viri indiga, appetita plurimis
Fruſtra, nec heres imperii tanti puer
Avita ludet ante blandus lumina.
Sed hoc ſatius eſt, quam madere fletibus
Cari parentis funere triſtem tui,
Cinere horridas quam vellere ſparſas comas,
Niveumque pectus tundere plangoribus.
Scopuloſa qui videt freta, nec abremigat
Flectens procul iter, naufragus merito interit.
Miſerum fleas, qui neſcius, peſſum it, viae.
Monitum fuiſſe Diis, ſatis erit jam mihi,
Vitare, quod capiti malum impendet meo.

Graviter affectus cum abiiſſet Acriſius, ſecum loquitur Nuncius.

NUNCIUS ſolus.

Diſceſſit, agitatum ut mare, animo fluctuans:
Miſſos faciet omnes, opinor, nunc procos.
Jam adſunt. ut illos vix loquutos deſerit.
Prae ceteris & quem colit ſuperis, pede
Adit ipſe propero ſegnipedis adytum Dei.
Jam cogitans aliquid ſtatim excudet vafer.

Indor-

Indormiet cauſſae nec is tantae oſcitans.
Aliis cavere ſuetus haud ſe negliget.
Quin, rem ut domi, foriſque geſſit naviter,
Toto huc, ut ajunt, pectore incumbet, brevique
Amolietur, quae premunt onera animum.
Quieſcere in utramque aurem, id optimum arbitror.
Nihil anxiis proſunt opes, regnum nihil.
Quo tanta res ſe verterit, novit Deus.
Soſpite utinam Acriſio inclyto, ac Danaë, unica
Spe regiae, Argiviſque, ac urbis moenibus,
Valida Cyclopum conditis olim manu,
Qui nunc ratibus adſunt procul vecti cavis,
Celebrent ut indicta ſacra Vulcanalia.
Jamque eſt prope dies feſtus Argis, quo ſimul,
Sibi quiſque conjugium puellae conſequi
Ratus, in opibus omnes futuri erant proci.
Nunc ira mutat ora, pudor hinc aeſtuat
Repudii, amor coquit hinc ferus praecordia.

Repudiati ab Acriſio Proci, cum minabundi Argis diſcederent, Chorus mulierum pavidus Junonem orat, urbem ipſi conſecratam ab hoſtibus defendat.

CHORUS.

O Germana mariti,
Fratris grataque conjux,
Cujus numine caelum,
Terraeque tremit orbis,
Ipſi quem metuunt Dii,
Sedes deſere olympi
Curru vecta per auras,
Non quo verſicolores
Vinctae colla volucres
Te per nubila vectant,
Vis ſiquando choreas
Inter laeta videri.

Cum

Cum te ſanguine multo,
Multo & thure ſacerdos
Lucos ſubter opacos
Caelo devocat alto,
Nunc ſed junge frementes
Bello ſaeva quadrigas,
Tecta & caſſide crines
Haſtam concute, ſemper
Hoſtis caede fluentem.
Namque ex urbe juventus
Cedens ſaeva minatur,
Conjurata vetuſtos
Ferro diruere Argos.
Pavor heu quantus pectora turbat.
Horrent, video, rura ſagittis,
Denſus ut albet campus ariſtis.
Quaſſat galeas parſque comantes,
Equitum turmae celereſque ruunt.
Unum qui pote ſenium tot manus
Juvenum patriis pellere regnis
Incendia, caedeſque minantum?
Agedum, prohibe, disjice, diſſipa,
Notus ut Libycas tollit arenas,
Miſcens nebulam pulveris atri,
Tua qui moenia diripere volunt,
Maxima Juno.
Unius omnes virginis ergo
Eamdem miſerae aut mortem oppetimus,
Aut captivae trahimur rapidum
Per mare cunctos famulatum annos.
Nil commeruit tamen infelix,
Trahere una aevum infecundum omne
Patris imperio juſſa tyranni.
Decus heu frontis lumina nitidae,
Heu coma, color &, nix velut, aut prior,
Comitata choris cum venit, ipſo

Jove digna, tuus ni vir is eſſet.
Forſitan illis paſcere ocellis
Mavult, quam alios, ſe pater ipſe,
Sibi nec patitur vellier aula.
Improba nam quo non penetrat Venus?
Arabum Regis nata Cupidine
Capta nefando, palluit amens,
Tenebris caecae fretaque noctis
Latus obtulit, heu, dira parenti,
Caluit tanto jecur igne ferum.
Sed quo celeri pede turba ruit?
Quid ſtupet omnis? tenuitque gradus?
Libet ire ſimul, lacrymae ore cadunt
Pariter cunctis, miſeramque vocant,
Timeo quid ſit, temere neque enim id.
Ibimus, & ſi nimis arcta via eſt.
Sine, ego anterius paullulo eam, rogo,
Jam jam perimor. miſeram quo tu?
Quo me trudis? carbaſa deſere,
Venit exultans ſonipes quantus!
Age te huc propere. age te huc, cedo manum.
Bene ſed, bene. jam evaſimus, agite.
Via ſe amplior in campum laxat,
Huc, ubi regia tollitur ingens,
Quo ruit omnis turba properiter,
Accedam prope cernere, quid id eſt.
Sed prob Juppiter, unde repente,
Nata eſt ingens, altaque moles.
Super aërias ferrea nubes?
Obdunt vectes limen aheneum
Septum immani cardine circum.
Cara vix Phoebi lumina tenuis
Recipit denſis fixa clathris
Rara feneſtra. quis auctor, & opifex
Operis tanti fuit operoſi?
Tacite applicuit bibulas omnis

Popu-

Populus querulis vocibus aures.
Audire libet carcere queſtus
Quis tam vaſto jactat inanes,
Et lamenta promit in auras
Gemitus triſtes geminans miſeriter.

ACTUS II.

Deplorat calamitates ſuas Danaë, cum a parente in turri ferrea eſſet incluſa, eamque Nutrix conſolatur.

DANAE. CHORUS. NUTRIX.

Dan. *QUANDO meis Sors invidet mortalium*
Aures querelis, alloquar vos Caelites.
Qui templa quamvis celſa colitis olympia,
Auditis attamen pias propere preces,
Latet abditum ac nullum penitus uſquam nefas,
Quin mille deſuper oculis, quot ſidera
Noctis per atras frigidae tenebras micant,
Spectetis uſque ſceleris ultro vindices.
Ch. *Sile, ſile, ipſius videor audire jam*
Danaes miſellae voculam lacrymabilem.
Dan. *Sed heu quid infelix ego primum querar?*
Primum aut fleam? Pater, o pater, me ſiccine
Nuptum dari? hos thalamos parari? has nuptias
Mihi celebrari? quod facinus auſa impium?
Nut. *Corrumpit ora lacrymis nitentia,*
Regina felix nimis obiit, haec non videns,
Relicta in atrum hunc diem anus ego, vitam traho.
Dan. *Sceleſta numquid hoſtibus patriam feris,*
Patriſque prodidi ſacrum Regis caput?
Quondam velut nefanda Niſi filia
Amore ſaevo, & impotenti perdita,
Furtiva dempſit auream fato comam;
Volitat pavida nunc unde ſub nubes fuga

Lugu-

Lugubre reſonans, ſceleris heu numquam immemor.
Tamen illa felix, ora quamvis mollia
Durata roſtro prominent deformia,
Parvumque plumea caput galea tegit.
Agricola ſiquidem, qua libet, volucris volat.
Campoſque peragrans multivaga videt avios:
Ubi nemus, ubi fontes, ubi Tempe virent,
Ubi flumina ſcatebris ſonant cava frigidis,
Ubi mille quondam ſepta virginibus fui
Tibi quum ſacra ferebam Proſerpina, floream
Metens apricis ſaltibus meſſem Dea.
Quae nunc memor quin gratiam referens, jubes
Me regia natam domo, Styga tranſvehi
Servitum in omne ſervitutem aevum tibi?
Ch. *Audin? cupit mori, excutit lacrymas mihi.*
Dan. *Jamque mora nulla eſt, quin trabe ſub hac aenea*
Linquens cadaver pendulum, ſic, horridam
Soluta mortis munere, effugiam domum,
Novumque carcerem. ipſa mihi niveum prius
Vitale ſtamen, nunc nigreſcens abſtraham,
Et quam viri non abſtulit lateri manus,
Cervice zonam pro lacertis ambiam.
Nut. *Mors o mihi ſera, his meas quin obſeras*
Aures querelis? lumina his quin fletibus?
Dan. *Vale diu, memor vale, miſerae dolet*
Si cui negatus forſitan Danaes torus.
Ultuſque caede lugubres tumulo notas.
Valete coetus voſque virginei ſimul,
Et quando taedas Dii vetant Hymeneias,
Quatite rogo manibus faces mihi funebres.
Hac gaudeat pompa genitor, ac praeficae.
Plangentis obſtrepat querulus aures ſonus.
Nut. *Rapuit, vide, zonam furens. Mea tu, quid hoc*
Alumna? quo te tantus impellit dolor?
Ultro ut, nefas, mortem velis tetram mori.
Dan. *Sine, per ego Superos rogo, Nutrix ſine.*

Nut.

Nut. *Tuumne vivens ut ego ſunus conſpicer?*
Dan. *Taedet tueri, quod relictum eſt, aetheris.*
Nut. *Vulnere oculos heu tam gravi feries meos?*
Dan. *Mortis ego particeps cupio jam omnis mori.*
Nut. *Spargeſque ſemper fletibus aniles genas?*
Dan. *Animae atque reliquum corpore aegro expellere.*
Nut. *Tibi ſuperſtes egon? obis tu me prius,*
Annis cadens puellula florentibus?
In hunc reſervant fata miſeram me diem?
Munuſque id ego ut habeam mihi extremum jubes?
Dan. *Quibus eſt acerbum vivere, iis dulce eſt mori.*
Nut. *Una ſemel aufert Mors, bona omnibus omnia,*
Ut flumen impetu ſata avulſa abripit.
Dan. *Eademque ſentes vellit animis aſperas.*
Ut ignis imbre, morte ſic dolor interit.
Quod ſi tuae miſeret, juvas quin me? aut ſinis
Ultro ire? ubi ante laboribus poſitis ferunt
Manes quieſcere ſedibus tandem piis,
Oblivioſi prope vada ſacra fluminis,
Viride nemus quae myrteis ſepit comis,
Frondoſo opacans tegmine herbarum toros.
Nigreſcit atris nunquam ibi aër nubibus,
Alterna nec nox eripit tenebris diem.
Heroidum tenet loca illa frequens chorus,
Lucos pererrant garrulos avium ſono,
Ioque, Ledaque, Semeleque, Europaque
Honore quoque dignae Jovis amatorio
Electra flava, Maiaque ſoror candida.
Cupit animus quas viſere. eſt ubi regio
His conſecrata, poeniteret quam loci?
Nut. *Rumpere vetat aliquem ſibi vitam Deus.*
Nec parricidium grave eſt aeque, ac ſuae
Siquis animae non ſuſtinens onus, abjicit,
Manet hunc alumna Tartari domus impia
Dejecta terras ſubter imas, ardui
Vix quantum in auras aetheris polus eminet.

Quo deſpicit nunquam ipſe, quin paveat procul,
Cunctis tremendus ceteroquin Juppiter,
Nox atra tantis terret umbris, oraque
Hiant figuris tam feris immania.
Poenas quis omnes omnium fando explicet?
Hic ſumit ora Tigridis, hic ululat lupus.
Pars merſa lamis grunnit uſque paluſtribus.
Pars tortuoſos callida ſibi fodit ſpecus,
Caudata fugitans tricipitis rabiem ferae.
Ch. *Crudeliter qui vixerint, quique improbe,*
Qui nequiter, quique ſcelere inſtructi, ac dolo,
Has, luce ubi aetheria carent, poenas luunt.
Nut. *Nec unus angitur ſiti merſus lacu,*
Cadaveroſus vultur aut unum comeſt,
Eviſcerat ſed plurimis reſecans jecur.
Gemunt anheli ſub onere plures gravi:
Celereſque turbinis modo, vinctum puer
Quem torquet, amento explicans, verſant rotae.
Nullum ſed agit aeque furor, ac illum, manus
Sibi qui intulit. Noctiquerula velut avis gemens
Carmen ſepulcretis canit lugubriter,
Sthenoboea replet queſtubus Ditis domum,
Juvenem auſa mulier credulo nimium viro
Deferre criminibus, malum, inſontem novis.
Quam mox amor rediens, & inſanus dolor
Claudere diem nodo merentem perpulit.
Noſtris furor is arripiat animos hoſtibus.
In melius haec alumna jam vertet Deus,
Sinet diu nec immerentes deprimi.
An non Lycaonis miſera gemuit feris
Hirſuta villis, teſqua peragrans aſpera?
Quae nunc ſupremo ſemper elucet polo,
Dubioſque ducit navitas mare per vagum.
Inachis & olim cernua, gerens cornua,
Nili fluenta Dea prope colitur uberis.
Jamque, niſi fallor, augur en nova nuncio.

Teli,

Teli, vides, miniſtra inevitabilis,
Magni Jovis ſatelles, ut fulva, ambiat
Conflata ferro tecta ſublimis volans?
Haud temere adeſt: age mecum, alumna, agedum Jovis
Numen, agedum precare prece, mihi quam pius
Vates reliquit natus ad vada Crathidis.
Pineta tollit ubi ſub auras aetheris,
Paſſimque fontibus ſcatens Syla obſtrepit,
Ac mille gelidum fiſtulis recinit nemus:
Haec praeſtat Oenotriae una ſilvis omnibus.
Dan. *Video ſacram, Nutrix, avem, video, Jovis;*
Et ſpeculae injecit aliquid dudum mihi.
Sed age, novas aveo preces audire, age.
Nut. *Pater o Superum, caelique potens ſempernitidi,*
Radiis etenim micat interdiu Apollinis ignei,
Rutilatque per atram ſideribus noctem tremulis,
Nequeunt venti quas extinguere, pluviaeque, faces.
Canere ecquis mortali te voce poteſt Juppiter?
Immota moves qui terrarum pondera quatiens,
Vada mobilis & pelagi cogis veluti glaciem.
Hominum tibi ſit rogo gens curae: viden ut miſere
Vaga mille viis, errabundaque ſemper fluitet,
Corporis agitata laboribus, & curis animi?
Dan. *Cedo ſacram mihi tabellam.* Nut. *Age jam cape,*
De collo quam primum tibi nunc pendulam
Cervice nunquam, ex quo data eſt, poſui, meo
Sed pectori haeſit ſemper haec mihi diu.
Dan. *Ediſcam.* Nut. *Humi ſubmiſſa ter cane, ter manus*
Extolle. Dan. *Teneo.* Nut. *Crede ſed nil non Jovem*
Poſſe. minor hanc Deus faber ſi condidit
Repente malleis domum, major poteſt
Eandem citius aut ſolvere igni tabidam,
Rapidis dare vel Euris peruſtam fulmine,
Te ſoſpite, olim diſperiit ut mons triplex

Congeſtus, unde ſtulta gens Titania
Centipes adorta Caelites bello fuit.
Dan. *Ibo ſeorſum ſupplicatum nunc Jovi;*
Sine teſte nam magis rogantem audit Deus.

Queritur Chorus ſibi fruſtra acupictam veſtem, & ſerta praeparaſſe, ut exquiſito inſignis ornatu Danaes nuptias celebraret, eamque abſentem adloquitur.

CHORUS.

Modo Phrygios amictus,
Modo ſutiles corollas
Serens mihi parabam,
Quibus implicata capillos
Myrrha madentes pingui
Tibi choros agitarem
Inſignis, Acriſione.
Ne fronte vagus, & errans,
Dum verſo ſaltans orbem,
Solutus impediret
Me tortilis cincinnus.
Micantibuſque Loton
Digitis puer ſonoram
Tibicen inflans aderat
Meditatus Hymenaeum.
Nunc immerentem moerens
Abjecit, olim ut Pallas,
Liquentibus cum vidit
Speculis tumentes malas.
Querar & ego, querar te
Raptam mihi, tam ſaevo
Te carcere coërceri.
At ore ſemper udo,
Sipylus abundat uſque
Flebilibus ut mons undis;

At

At voce ſemper triſti,
Qualis ſonans Aëdon
Flet conjugem, aut involucres
Foetus inani extractos
Nido, levique clauſos
Vimine tuens tabeſcit,
Circumque volitat fruſtra;
Ramo ſedens mox valles
Cavas replet querelis.
Sperare quod tamen audes,
Non irritum faxint Dii.

ACTUS III.

Miratur Acriſius, turrim aeneam a Vulcano vix rogato tam repente fuiſſe excitatam.

ACRISIUS. CHORUS.

Acr. QUID *cogitare quiſpiam poteſt mortalium*
Ita arduum, expediant, velint modo, quum Superi illico?
Et ſi hoc mihi infixum haeſit in animo ſemper meo,
Rem nunc ſtupidus, ac vix mihi credens tango manu.
Factum ne poſteri putabunt, an fictum hoc magis?
Aetaſque veniens jam novam autumabit fabulam,
Quae mira praeſtat omnibus dubio reliquis procul.
Arcem rogavi, filiae ubi latebrae eſſent meae,
Ut tuta ab inſidiis procorum, & viribus foret,
Vulcanum opificem ipſum, omnium unum ſollertiſſimum.
Ex quo etenim is Argiva chalybe ex contuſo moenia
Immania poſuit, puer merito Junonius

Digitized by Google

In urbe matris, aede colitur aureus ſacra.
Ubi victimas furvas quotannis, fractis cruribus
Ritu immolant ſolenni ad ignes ſuccincti Popae;
Quo tranſmigrat frequenter Aetnaeis e rupibus,
Celerique pede venit ocius volucribus loripes.
Ubique enim pie vocatus ſubito adeſt Deus;
Vixque precibus rogatus ingentem ſonitum excitat:
Strepere omnia tonitu, inque numerum ictus audirier,
Omniſque mugire procul alta convexa aetheris,
Incudibus gementibus, reboanti verbere.
Dictoque citius, ut imbrifera nubes extollitur
Repente, montis inſtar, aequoreis e fluctibus,
Ilicet oritur ingens cacumine turris arduo
Ferrea, velut opere facta ad unguem tota fuſili.
Remque notat ipſe litteratis omnem poſtibus,
Haec eſſet ut cunctis nepotum nota ſaeculis:
Ubi latet abdita virginum Danaë decus omnium,
Canibus ad ipſas excubantibus ſemper fores
Immanibus, ſemine ſatis ex illius, procax
Quem ſenſit olim adulter inceſtans Ditis torum.
Evellat hanc ſibi nunc manus minis ſuperbiens,
Vix datur aditus ipſi, poteſt caetera qui Juppiter.
Nunc gratulatum ibo, nihil poſthac metuens, Deo;
Ipſiſque mercedem merentibus reddam fabris:
Nam non pecunia Diis, ut hominibus, animos capit.
Jamque ingredior adytum: favete linguis, dum loquor.

Ch. *Nefas ſtrepere ſacris,*
Nefas fremere; gradus
Siſtite: ſilete jam.
Noſtrum loquax nimis eſt
Muliebre, ut ajunt, genus.

Audite:

Audite: Diis honor hic
Debetur, & Regibus,
Qui proximi ſunt Diis.
Acr. *O nate Junonis toro puer caſto*
Ex omnibus, quot Juppiter Deos ſevit,
Paſſim per orbem filios vagus ſpargens;
Ut eſſet alti ſeminarium Caeli,
Ac pullulans novella gliſceret proles
Tranſlata terris in ſerena convexa.
Jure unde maximi fores olympi haeres,
Stamen Jovi ſi ſectile Atropos neret.
Tu primus ipſi incognitum patri fulmen,
Volans, triſulca cuſpide fremens, igneum,
Excogitaſſe diceris, manus Caeli
Eſt auſa cum regnum aggredi Gigantaea;
Es aſſecutus unde nuptias natae,
Longis fovet quae noctibus fatigatum.
Te non Gradivi terruit furor ſaevi,
Quin involutus mille nexibus caecis
Adulter annum pendulus daret poenas.
Tua mihi ſed pace ſi licet fari,
Molitus es nunquam ullum opus, vel ingens, vel
Tutum, vel affabre, ac repente ſic natum,
Ut quae perennis eſt meae domus natae,
Nullis caduca ſaeculis, manens uſque.
Quare tibi nunc plurimas ago grates,
Ac maximas, quin debiti reus voti
Centum immolo juvenculis patres junctos,
Totidemque temeti amphoras notae Creſſae.
Tu honore tantum paſcere, haud enim fas eſt
Mutabile ut ſit nectar his cruentatis
Obſoniis, ac pinguibus bene omentis.
Sit viſceratio haec Cyclopibus, ſeque
Ingurgitent, atque hauriant cados vini.
Voca Cyclopas: advenit fremitu turba ſtrepens,

Abiegna ſilva tollitur vetus , denſaque velut .
Nil eſt vocatore hic opus:quot accurrunt!dapes
Explere quae tantos queunt? pauxillulum quoque
Eſt Liberi. methymna non una bis ſatis foret
Vinoſa ; comiter benigneque accipiam tamen.
Facit ipſe ſermo , ac vultus homini non nunquam ſatis.
Ch. *Nihil exhilarat animum*
Aeque, ac ubi Rex videt
Te laetus, & fatur,
Quae vis, libens : aures
Hic mulcet hominum magis
Concentus, ac lyra.

Reddit mercedem fabris ferrariis Acriſius, fitque ebrius Polyphemus epoto vini dolio; unde pugna inter eum exoritur , & Cyclopas.

ACRISIUS. STEROPES. BRONTES. POLYPHEMUS. PYRACMON.

Acr. *FAbri Jovis , ſociique Vulcani, invictum genus*
Labore de me plurimum meriti,ac regno meo;
Agite, capite virtutibus tantis nunc praemia;
Ac gratiam praeter, quam habebo ſemper maximam,
Pecuniamque praeter immenſam,veſtrae parem
Operae, hilares lautis ſimul menſis diſcumbite.
Prius tamen talenta humi famuli diffundite.
Utraque largiter capite manu, quae debeo.
Quid ſtatis? Pyr. *adſumus; peruſtus barbam, ut Aethiops,*
Induſque ego, verſo tenaciter dum forcipe
Fornacibus maſſam chalybis ardentibus gravem.
St. *Quaſi leve foret immanibus ſtridentes follibus*
Haurire ventos, per vices atque exprimere diu,
Quantum Aeolia vix efflat ipſa olim concava domus.

Br. *A-*

Br. *Apagete. malleis gravibus incudes contudi,*
Fractaſque liqui verberibus aſſiduis, maximis,
Inſtarque jaculorum ora, ac oculos feriebant mihi
Stricturae anhelo; viden adhuc vulnera ut appareant?
Acr. *Quieſcite, manete. fremere nihil opus eſt; unde enim*
Veſtris queam laboribus, quod eſt par, reddere?
Diis gratia, atque opum omnium Summano diviti.
Veſtro tamen duci ante, ut eſt aequum, auro largius
Impertiam. nihil flagitans tacet, virum ut decet.
Polypheme Cyclops, finibus jam inde Siculis rate
Qui vectus huc Neptuni ope celeriter ades, cape.
Percuſſa modo Abantis micant facie numiſmata.
Bis mille tibi ſunto; minus dimidio ſinguli
Vos capite, adeſte ſimul. Pyracmon, en tibi ſacculum;
Tibi ſacculum alterum accipe, Brontes, numero parem.
Steropes ubi eſt? St. *Adſum.* Acr. *Alterum quoque tertium cape.*
Viritim Abantaeos dabo quingenos caeteris.
St. *Cyclopion patercule, nihil opus poſthac erit,*
Obambulans tu quaerites victum precario,
Luſtranſque tuguriola minutatim aſſes congeras.
Poly. *Ego, Rex, tuae benignitati debeo ſatis;*
Inuſtus at dudum ſiti fauces vix queo loqui,
Volvenſque, bajulanſque cervice, atque humeris trabes
Miſer aereas, exſuctus humore omnis arvi.
Acr. *Solium ingere, exple, prolue ſpumanti te diu*
Baccho, ſed olfacito prius. Poly. *Papae! nectar ſupra.*
Pyr. *Odiſſe non adhuc vel ipſum nomen Liberi*
Ut exſecrandum? es immemor Ithaci, pater o Cyclops,

Cum, qui unicus videbat, oculo emiſti prodigus
Urnam Maronaei. fuge edoctus rurſus malum.
Poly. *Avertere quibus quaerit artibus cupas meri!*
Sibi vult relinqui, abſterret iccirco ſtultus catum.
Quid ais fatue? quaſi poeniteat, aut faciam bili, nihil
Videre; lumen quin reluceret ſi jam mihi,
Ut patre fertur olim Orion eodem, quo ego, ſatus,
Effoſſus utrumque oculum, iterum oculatus cernere,
Impenderem nunc denuo, nollemque abſtemius
Fieri Argus. age jam vina transfundam ex hoc dolio
Licet puſillo in alveum. Quid hoc? vah nil dolet,
Viaeque longinquae piget, laboris & nihil.
Jam addico me Rex nunc tibi totum, operam quoque meam
Jugem, perennem, compede impeditum ferrea
Noctes, dieſque defatiga hac me mercedula.
Quin cape, tuam tibi habe, libens reddo, pecuniam:
Dives ſatis etenim ſum ego hac tantum re exuberans.
Acr. *Num pereo? pandit ut ora torvus. adeſt, adeſt prope.*
Poly. *Audite ſed vos, animum & advertite. Nemo audeat*
Parere non mihi, cicatrix etſi palpebram
Deformet ingens, caecus ac talpa cernam minus.
Heros ego Neptunius Rex Coelitum Cyclops
Edico, ſtillam nemo delibet liguriens
Laticis mei; quin hinc faceſſite, & ſicui ſitis
Moleſta, paret is ſibi alium; permitto hoc, ac ſino

Beni-

Benignus. hic Regem decet tantum, genitum & Deo.
Contemnat at ſiquis, manus ſentiet jam diu
Suetas cruore noxiorum ſpargi, atque oblini.
Quid hic fremitus? adeſſet Alcides mihi cadum
Abducere, hoc ego fagino contra clavam ſcypho
Facerem alteram Excetra magis metueret belluam.
Cellis procul vinariis, iners plebecula.
Quis hic? bibe hoc primus. etiam tu hoc; teneo jam improbum;
Obtortus ibis nunc gula poturus Stygis aquam.
Pro foribus adſtabo, ſinam nec Liberi ſacram
Aedem profanus penetret hanc quiſquam. Thyrſo huc ades
Armatus, o Bromie, Bromie, tuumque maximum,
Atque unicum adjuva ſacerdotem contra ebrios.
Hirudo vini quo ſceleſta repis per pedes
Illapſa medios? morere ſitiens, oppreſſam obtero.
Circum crepat lagena multa aures jacta undique.
Fruſtra. nihil movebor hinc. ipſis neci datis,
Jactiſque conſternam catervatim reliqua agmina;
Cunctiſque deletis, dabitur illico Danaë mihi
Lepidiſſima omnium, omnium longe validiſſimo,
Reliquis repudiatis procis, catamitis, improbis.
Ego Regius gener, ego jam ſceptro, ac diademate
Inſignis, ego jam diviti ſucceſſor regiae,
Ego Acriſii opum legitimus haeres. quid peſſimi
Invaditis aliena? io, Argivi, accurrite ſimul,
Adeſte Regi, ac improbos bibaces in fugam
Verſos ſequimini, caedite, trucidate, extinguite.

Br. *Quid contumelioſius ſuperbiloquentia*
Tanta? vel eſſe mihi quid intolerabilius poteſt?
Quid tu Pyracmon? emori mavis miſer ſimul
Caedi additus tot immerentium? vel ut decet
Fortem, bonumque, pellere injuriam, & ultor tuae
Gentis, ſcelus durum, ac nefandum tollere funditus?

Pyr. *Egon? aeſtuans acri dolore dudum cogito*
Teterrimam peſtem modo excidere: diu, diu
Pertulimus immanem Tyranni feritatem horridi.
Age Steropes, Bronteſque, circumſiliamus leves:
Jam malleis oportet bis tempus perrumpere
Utrumque, caeca frontis & refodere vulnera;
Ut robur ictum undique ſecuribus, nunc concidet.
Jam jam ſequimini: tu latus laevum, tu dexterum,
Adverſa pulſabo ipſe tempore eodem ora graviter.
Monſtrum peribit hominibus hodie inviſum omnibus,
Vitaque nunc mercabitur Lyaei munera.

Poly. *Congredere jam minax, tonans verbis, tutus procul.*
Captum ore glutiam, volabis vel ſparſus diu
Per nubila. fugax, bella quid geris? ſequar, ſequar.
Habeo, teneo, periſti. abit pro diſcerpta manu.
Reliquit ori bucceam. quin tandem comminus
Committeris? laſciva circuit vulpecula
Fugitans, ſtatariamque metuit pugnam callida.
Tamen habuit. inane cape ſolium inflictum tempori.
Tuque obliga vulnus. trahe, trahe humandum alium pede.
Haha!

Haha! ebrii unum ſobrium tot pavitant, ut canes
Leonis aggreſſus timent collatrantes procul.
Pyr. *Facite impetum, circumdate obſeſſum, & contundite,*
Malas, agite, findite feras, torvas findite genas,
Rictu excutite molas cruento exertas, horridas,
Plagis ſonent tempora novis, caedite, ſternite ferum,
Inhoſpitalem, Anthropophagum, hominum oſorem, ac Deûm,
Trucem ſuorum victimarium. Poly. *Fer opem, pater*
Neptune, pereo jam miſer. Pyr. *Ditem potius voca:*
Diti immolo, nigriſque Manibus atram belluam.
Tandem ruens vaſto ferit pectore moles humum,
Rugit cruentus animam agens, cadaver linquite
Paſtum feris immanibus; vos ſed diſcumbite
Veſtram, illiuſque portionem potantes meri,
Ac naeniam mecum canite laeti Cyclopeam.

Pyracmon Polyphemum humi afflictum, atque interemtum jocoſe alloquitur.

PYRACMON: CYCLOPUM turba.

Pyr. *Age, ſurge Cyclops,*
Poſitus quid humi,
Longus ut es, jaces?
Fumant poſitis lancibus exta,
Patulis nec dum naribus afflant;
Aurita ſonant pelues nec dum
Crepitantes tua tempora circum.
Mecum rurſus conclamate.
C.T. *Age, ſurge Cyclops,*

Poſitus

Poſitus quid humi,
Longus ut es, jaces?
Pyr. *Numquid longo feſſus ludo*
Reficis ſomno te ſopitum?
Somno infelix heu lethali
Torpent, video, membra ſepulta.
Altius iterum conclamemus.
C.T. *Age, ſurge Cyclops,*
Poſitus quid humi,
Longus ut es, jaces?
Pyr. *Ergo poſthac laetas numquam*
Paſtor ages ad ſaxa capellas
Dumoſa vagus, nec reſonabit
Per opacas cava fiſtula valles,
Nullis umquam garrula ſaeclis.
C.T. *Age, ſurge Cyclops,*
Poſitus quid humi,
Longus ut es, jaces?
Pyr. *Spargite dulci membra Lyaeo;*
Glaucus ut olim gramine tactus,
Redivivus erit ſparſus Jaccho;
Metuo tamen heu, metuo, ne mox
Epulas omnes ſorbeat, & nos.
C.T. *Age, ſurge Cyclops,*
Poſitus quid humi,
Longus ut es, jaces?
Pyr. *Frigidus orat tranſmiſſurus*
Horrida Cyclops ſtagna phaſelo;
Fruſtra; molem non capit alveus.
Superis ergo pulſus, & Orco
Non admiſſus, nullibi eris miſer.
C.T. *Age, ſurge Cyclops,*
Poſitus quid humi,
Longus ut es, jaces?

Exanimatus pavore cum ſe e turba Cyclopum jam inter ſe ipſos ſaevientium confeſtim ſurripuiſſet Acriſius.

ACRISIUS ſolus.

Vivo ambulans? an, ut ferunt manes ſuis
Exire luridos ſepulcris, mortuus
Erro? ubi miſer ſum? obiine? vivo ego jam; ſed heu
Comitum cohors ubi? periit omnis reor.
Hoccine hominum tellurem alere? proh Juppiter!
Tumultuantibus meri propter cados,
Ac ſe intuentibus oculo minaciter
Torvo Cyclopum ducibus, exceſſi ocius
Vix integer, vix compos animi, territus;
Numquam cor aeque inhorruit, ſanguis ſuper
Intra coactus viſcera obriguit gelu;
Nec adhuc metus parcit quatere praecordia.
Quid heu ſi Jaccho fervidi, Lapithae velut,
Aggreſſi ahenam nunc domum, miſeram patri
Abducerent? non unus Argos Dis tenet
Raptor puellarum, metuere tunc ſinam
Demum, cita rate cum revectos audiam
Aethnam reveniſſe uſque, vel mari obrutos
Periiſſe, ſquammigeris pecudibus pabulum,
Mergiſque edacibus pelagivolantibus.

Oſtendit Chorus nonnumquam in eos potiſſimum fortunam ſaevire, quibus maxime fuerit benigna.

CHORUS.

Ut nihil laetum diu,
Dii fidem veſtram! manet;
Quin beat quem Sors magis,
Quem parem Superis vehit,

Hunc

Hunc repente, turbinis
More furentis, turbida
Saepe correptum opprimit.
Quem pupugit numquam veniens
Scindit hunc gravius dolor,
Indomitus velut equuleus,
Cum foditur ſtimulis novis,
Inſolens ferociter
Tollitur exſultim ſolo.
Vidit Acriſio hoc nihil
Laetius umquam Sol, terens
Volucribus caelum rotis,
Unde hominum tuens, refert
Cuncta Jovi, iſque Aegide notat,
Quicquid agunt, fantur, putant,
Oblinens atro vitium,
Rectum ac albo inſigniens;
Nunc quot heu premitur malis!
Imminens fatum hinc ſibi,
Hoſtium, hinc metuit minas,
Coelibemque flet unicam
Natam, ac orbatam domum.
Quin &, unde popoſcit opem,
Nunc Cyclopas horridos
Effugit exanimis metu.

ACTUS IV.

Attonita ſecum loquitur Danaë, cum e turri, quo in pluviam auream mutatus penetraverat, Juppiter evolaſſet, mox omnia Nutrici enarrat.

DANAE. NUTRIX.

Dan. *QUO fugit heu, quo fugit?*
Elapſa manibus ut avis,
Abiit volans, ubi quaeram?

Nuſquam

Nuſquam heu videtur, nuſquam.
Vigilans loquor? an illudit
Imago ſomniantem?
Age, excito jam me, atque
Somnum excutio, jam cerno,
Tango, ambulo, audio me
Jam nunc loquentem, an fallor?
Nutrix age, mea Nutrix
Perii. Nut. *Quid eſt?* Dan. *Quae vidi!*
Nut. *Quid, mea, ſtupes?* Dan. *Heu.* Nut. *Fare.*
Dan. *Jam jam occidi.* Nut. *Miſeram me.*
Quieſce alumna dulcis,
Quieſce, tingit quantus
Te pallor, eloqueredum,
Quid paſſa? Dan. *Juppiter.* Nut. *Te,*
Mea, ſoſpitet, quid trepidas
Exterrita? quid horridula
Riget coma? quid hoc? eheu.
Dan. *Hic ipſe, Juppiter ipſe.*
Deliquit animus. O quae
Spectare contigit! vix,
Dum cogito, mihi vix
Credo, preces piae a Diis
Quid non queunt? Nut. *Exanimat*
Pavidam mora, age dic tandem.
Dan. *Jam cellulam, impedit pavor me proloqui,*
Dicam attamen, pedem intuliſſem cum modo,
Supplexque proſpectans plagam extremi aetheris,
Sol unde currus excitat, linquens mare,
Sacriſque precibus, quas mihi Nutrix, beans
Me ſponte tanto munere, dediſti, Jovem
Superum omnium longe ſupremum devocans
Caelo, rogarem, opem mi ferret Deus;
Nova feram, inaudita, fidem & exſuperantia:
Pelago roſea nubes procul ſe ſuſtulit,
Qua nulla hilarius pingit aëra caerulum,
Plu-

Pluvioſa non ipſa decus Iris nubium,
Aurora mater lucis aut ipſa igneae;
Ac viſa mihi magis, magiſque accedere
Appulſa ventis levibus, avis ut advolat.
Mirata ſpectabam, nec id ſine numine
Rebar, pependit ilicet prope culmina
Aëria turris aereae cum immobilis.
Rapuit ſtupor tunc animum; & ecce ros ſacra
Jam nube primum decidens ſenſim levis,
Tenuit velut cydonium lanugine
Pubeſcit, aut olus pruinis albicat,
Sparſit feneſtra infuſus aura, caerulam
Pallam colore luteo, mica ut nitet.

Nut. *Quid hoc? fidem Dii veſtram opemque! age, loquere.*

Dan. *Crebreſcit IMBER diffluens mox AUREUS,*
Illapſus undique, penetranſque, qua domus
Junctura, qua diem inferunt ſpiracula.
Mentis mihi quid fuerit ibi tum, cogita,
Concreta cum pars, grando ut aurea, crepitans
Circumque reſiliens peteret ultro ſinum.
Obrigui, ac ipſo auro magis tunc pallui.
Sed ubi animum tandem recepi perditum,
Munus rata Deum, ſubdidi explicans ſinus.
Aurumque colludens, micanſque ſedula,
Flavis ſonanſque rivulis fluentibus
Ignara ſponte condidi in gremium mihi.
Legens, ubique quod jacebat, protinus.

Nut. *Sum nulla, inaudita audiens, ſed quid ſuper?*

Dan. *Sunt levia Nutrix, quae locuta ſum, prae iis*
Quae dicam. Nut. *An eſt quod majus?* Dan. *Auſculta, audies.*
Caeleſtibus nam dum, memor adhuc me pavor
Terrificat, opibus gaudeo, tremulum, leve,
Fulvum intuens aurum, exſilit ſubito evolans
Id omne, crederet quis hoc? pereunt opes,

Verſuſque

Verſuſque juvenis aſtitit, niſi is Deus
Vetuiſſet, animula attonita abiiſſet metu;
Fuique vocem audire tunc viſa illico:
Danaë, Danaë, animo timores diſcute;
Adſum ego vocatus ipſe caelo Juppiter,
Qui templa Olympi perſtrepo cava fulmine.
Miſeratus huc advenio tibi opitularier.
Nut. *Num ſomnians haec ait? an audio ſomnians?*
Dan. *Sic fatus admoto fovens trepidam ſinu,*
Utraque mulſit os manu, animum ac reddidit.
Rurſuſque coepit ſic loqui: mortalium
Indigna virgo nuptiis, nubes Jovi;
Geſtiſque puer ex te editus Solis domum
Utramque luſtrabit ſtupendis aliger,
Armatus atque manibus immortalium,
Saevaque caeſa Gorgone, hoſtium agmina,
Aſtricta glacie ut flumina, tenebit metu.
Eſt maximus, qui ſuſtinet caelum, ſenex,
Demit ubi Sol equis jugum levipedibus,
Unde Heſperus dux ſiderum exilit vadis.
Claudens hic hoſpitio domum nato Jovis,
Monſtri rigebit ore viſo territus;
Eritque terris ſe erigentem ad ſidera
Vaſtam hominis effigiem videre ſaxeam;
Avum quoque, ſed incautus, interimet ſuum.
Hic ſaucius dolore torpuit animus,
Carique reſperſit oculos funus patris.
Solatus inquit: profer hinc, Danaë, caput,
Mecumque ſuſpice, ac locum oſtendens, ait:
Stellatus illic uſque fulgebit puer
Labore functus, te quoque manent aſpera;
Ejecta namque fluctibus patria procul,
Regis famula, dein uxor urbis arduae
Longinqua pones moenia, futurum eſt ubi
Regnum diu, populiſque multiloquis caput.
Haec elocutus, iterum adhaeſit applicans

Se collo, apis ut arguta conſidit thymo,
Tenuique nectar murmure exhaurit legens,
Mox avolans oculis, reliquit ſpiritum
Deſiderii, amoriſque, Nutrix, jam nihil
Dolet coërceri, quid ego vocis ſonos,
Quid motum, & oris decus adoriar eloqui?

Nut. *Lux unde modo ſacra fulgeraret, territa*
Mirabar, unde tantus hic odor novus
Late per omnem dulce ſpiraret domum.
Sed quid? quid hoc alumna? reſidet adhuc nitor
Sparſus mitella, ſcobs ut aurea? Dan. *Exime,*
Senſim exime, vide, ſed vide, Nutrix, tamen,
Roris, nefas, ne decidat aliquid ſacri.

Nut. *Eburneam rape pyxidem, aut ex arculis*
Aliquam, ſed exterge, bene eſt, ſerva, vides,
Auro praeit quantum hoc, ſtupet quo hominum genus?
Ornaberis diademate, id equidem auguror;
Abiens reliquit capite regium decus.

Dan. *Quotidie eadem prece rogabo ſaepius.*

Nut. *Ita faciendum cenſeo.* Dan. *At quoties putas*
Fas eſſe? Nut. *Ter, mane ſemel; iterum cum dies*
Medium rotis caelum terit ferventibus;
Dein ubi aderit nox, tertio, tunc maxime
Furtim reviſere Superi terras amant.

Dan. *Noctis mihi tempus quoque gratiſſimum;*
Duo ſed relinquam reliqua non ego tempora.
Quid ſaepius ſi devocarem? Nut. *Haud fas foret;*
Caeleſtibus etenim eſt numerus hic amabilis.

Dan. *Animus tamen praeſagit ingens nunc malum.*

Nut. *Expectora metum penitus omnem tibi.*

Dan. *Praeſens ſcio jam poena, Nutrix, me manet.*

Nut. *Expue nefas, alumna, melius ominans.*

Dan. *Plaudens cor intimum latus, cladem monet.*

Nut. *In te quis unquam quippiam, Jove praeſide?*

Dan.

Dan. *Quin ipſe nuncians metum injecit Deus.*
Nut. *Aderit tibi, nec uſpiam linquet ſuam.*
Dan. *Patria carendum ſemper hei, Nutrix, mihi.*
Nut. *Una eſt parens terra omnibus, ubi ubi fueris.*
Dan. *Domoque, comitibuſque vidua aequalibus.*
Nut. *Saepe eſt ut exteri magis ament te tuis.*
Dan. *Famularier ſervam heu genus me regium?*
Nut. *Jam jam futura domina, nequicquam doles.*
Dan. *Age, oſcula, negata mihi poſt, da, dum licet.*
Nut. *Tene ego ſinam ſine me ire quo fatum jubet?*
Dan. *Tuaeque memor alumnae, ut uſque ſis, precor.*
Nut. *Niſi ipſa fuero comes, mori quid nunc moror?*
Sed cur metuis, extrema fortunaverit
Tibi ſi Deus? quin etiam eum, atque etiam roga.
Dan. *Secedam: in uno omnis mihi ſpes eſt Jove.*

Canit Chorus quantus ſit Amoris furor, ejuſque breviter pingit formam, & ornatum: poſtremo eum rogat, mitis ſit erga genus humanum.

CHORUS.

Quis te, Cupido,
Non paveat, ipſum
Facula liquefacis ſi Jovem,
Imbremque ſolvis in Aureum?
Quam, ceu puſilla per nemus
Nocturna ſcintillat volans
Lita volucris caudam igneo
Fulgore, laſcivus jacis
Paſſim per orbem diſſipans.
Heu quanta ſurgunt
Incendia e parvo
Ignis latentis ſemine!
Nec eſt, cui ſemel haeſerit,
Ut excutiat ardorem;

Sed, ſicut oeſtro percitus,
Errat furens;
Nemo tamen non appetens
Ultro uritur:
Es dulcis adeo puer!
Nam ſponte quis non advolet
Amore ſaevo ſaucius,
Quocumque ducis perſequens,
Si te ſemel conſpexerit,
Os purpura velut illitum,
Auroque fulgentem comas,
Ac vice oculorum ſidera
Refixa caelo, atque inſita
Sub fronte, natus es ubi puer
Alis decorus?
Tunc levi
Sed numquam inani cum pharetra,
Ardent ubi tot ſpicula,
Niveis rubent
Plumae quot humeris tibi leves,
Oras per orbis ultimas
Sparſiſti amores ſeminans,
Unde omnia edita germinant.
Quare ſator rerum es puer,
Hominum parens, ac Numinum,
In caelo, in undis, in ſolo
Terrarum amabilis,
Idemque formidabilis,
Lenis modo, modo aſper, fluens
Lepore, moerore fluens.
Ut ſuggerit apis cum favos,
Eademque figit vulnera.
Tibi nec ſatis regum domos
Reviſere potentium,
Quin pauperum ſub culmina
Furtim volas.

Gre-

Gregis unde curas abjicit
Flamma caleſcens ruſticus,
Silviſque ſub frondoſis
Solatur ignes cantibus.
Quid loquar, ut eloqueris
Dulcis per aures omnium?
Te intelligit gens barbara,
Te belluae, volucreſque vagae,
Quae ſimul adeſt ver floridum,
Tuoſque reditus ſentiunt,
Praegeſtientes
Nitidum per aëra tinniunt.
Sis o placidus, & amove
Diros furores,
Suſpendia, cruentas neces,
Lapſuſque praecipites. ſatis
Sint tibi querelae,
Fletuſque, & irae gaudiis
Permiſtae amantium.
Sed cur in aurum liquitur
Nunc Juppiter? an auro, ut fides,
Ut jura, vincitur
Quoque pudor? Utinam
Hoc mater unum
Tellus in auras
Numquam extuliſſes malum!

ACTUS V.

Exponit flebili voce Nuncius, quibus fuerit modis extracta Danaë ab Acriſio e turri, & in arcem ligneam conjecta, marique, ac ventis commiſſa.

NUNCIUS. CHORUS.

Nun. MECUM quis eheu
Collacrymet? humor
Hauſtus ſed omnis
Reliquit arentes genas;
Dolor tamen animo gravis
Infixus haeret.
Ch. *Quid heu mali? quid hoc?*
Nun. *Vidiſſe tantum,*
Tantum nefas? Scytha nihil umquam
Iratus hoſtis tale.
Ch. *Miſere ut dolet, rogabo.*
Nun. *Eheu.* Ch. *Quid? oro te, quid hoc? age, fare?*
Nun. *Immane, barbarum.*
Pater hoc, pater?
O virgo. Ch. *Facinus quod tam atrox?*
Nun. *Quin exſecrandum nefas*
Rejecit unda reſpuens?
Sol ipſe quin averſus
Refugit,
Unde oritur occidens?
Ch. *Exordiens, age loquere.* Nun. *Loquar ego, loquar*
Infanda. Saevi carceris cuſtos velut,
Rex ipſe luſtrans parietes aeneae domus,
Cautus dolos, ut hoſtium obſeſſus timet,
Aut paſtor irrepentis inſidias ferae,
Cum obſtruit ovilis ſepta vafer obambulans.
Viſus fuit videre ſuſpiciens procul

Caput

Caput viri, Danaëſque prolatum ſimul
Celſa e feneſtra, quam plagae communiunt
Ferreae; pavor oculos puto fefellit ſenis.
Ch. *Ut, ſaepe multi ſomniant id, quod timent.*
Nun. *Frendit furens, ſpumas agit ac ore horridus,*
Ardetque, velut ignis, ſenilis pupula.
Ait haec rabie anhelans, ferus voce inſuper:
Foſſis, cuniculiſque ſubterraneus,
At at, habet arcem vix poſitam adulter, ſequar,
Sequar ego refugientem ſub umbras Tartari.
Dixit, diuque circuit, an ullum foret
Extra cavum, valloque militum obſidet
Late loca, effugium eſſet ut nullum improbo.
Mox, ipſe quam ferebat uſque, ut janitor,
Clavi reſerat adamantina parvas fores.
Ingreſſus, ut canis acer, indagat ſpecum,
Oblivioſior nihil reputans ſenex
Ex aere ſolidaſſe ſola ſolido Mulcibrem.
Nuſquam ubi videt quicquam daret quo ſe furor,
Natam aggreditur ipſam pater trepidam ferus.
Ch. *Eheu pater natam?* Nu. *Necet ut atrox.* Ch. *Necet?*
Se parricidio ut parens natae inquinet?
Danaën genitor? heu miſeram! Nun. *acutos ter ſuae*
Admovit enſes filiae jugulo impius,
Ter deſtitit, cruenta atrocius nece
Jam moliens animo ſcelus. Ch. *Quod majus? heu!*
Nun. *Saevum, nefandum.* Ch. *Dic age.* Nun. *Abreptam novis*
Danaën modis, numquam meminit animus feri,
Numquam miſellae, quin cor abſumat dolor.
Protraxit ad vada pelagi. Ch. *Genitam parens?*
Nun. *Arcamque juſſit pineam ilicet ingredi.*
Ch. *Quorſum? quod heu trux imperans? quid cogitans?*
Nun. *Manabat ore virginis fletus miſer,*
Formata ut effigies nivea hominis fluit

Radiis liqueſcens Solis icta flammeis;
Torvumque ſupplex tabidula patrem intuens,
Mene, inquit, undis, me ne miſeram extinguier?
Ah te, perit mecum niſi pietas, rogo,
Caeſam tegat humus, ſine, ſine, moriens ego
Hoc grata munus auferam extremum patris.
Heu me furenter aſpicit, igitur mari
Jactata ſcopulos inter infelix diu
Natabis eſca piſcibus, Danaë, feris,
Fluitans vago diſperſa membratim ſalo,
Dudum beata. Haud paſſus ulterius queri
Natam ipſe ter Jovis vocantem numina
Brevi alveo impactam pede in vada propulit.
Ch. *Crudele, inauditum, nefarium ſcelus!*
Nun. *Et ecce ſine nube intonuit, atque aequoris*
Tranquillat undas ventus aſpirans levis,
Clauſamque littore abſtulit in altum ferens.
Ch. *Io miſella, io puella regia*
Sortita qualem lucis exitum occidis!
Nun. *Ac velut aquoſa nube cum Sol abditur,*
Caelumque mugit triſte manans imbribus,
Sic nulla proſpicitur ubi, lacrymabilis
Exoritur undique fremitus. Danaën nemus
Circum reſultat conſitum, Danaën cavae
Rupes, pelagus omne Danaën, Danaën refert;
Quin ipſe tandem victus evellit comam,
Barbamque obortis humidam lachrymis ſenex,
Seſeque rapuit, ac domum Cyclopeam
Ingreſſus ipſe, exhorret hoſtiles minas,
Civeſque natae vindices metuit ſuos.
Utinam graves, utinam pares ſceleri luat
Poenas nefandus: quae tamen ſceleri pares?
Ch. *Infanda refert.* Nun. *Heu tamen acta.*
Ch. *Saevus ne ſenex magis? infelix*
An virgo? Nun. *Nihil ſaevius hoc eſt,*
Nihil atque infelicius illa.

Ch.

Ch. *Patris infelix filia ſaevi,*
Quo te miſeram nunc maris aeſtus,
Adigunt, quo te flamina venti?
Vagus o utinam navita rediens
Obvius eſſet, Phocas vel qui
Procul hinc captat, te nodoſis
Appulſam maculis deferret,
Regemque bearet
Inſperata conjuge laetum.
Specula velut aëria praeceps
Incidit ipſis retibus olim
Britomartis, amantem Minoa
Dum fugit exanimata ſequentem.
Ite per altum, veligeras citi
Solvite puppes, ſcandite, pellite,
Verrite latis aequora tonſis.
Quaerite circum, ſicubi forte
Ejecta vagis fluctibus errat
Sub opacis, heu, ſola cavernis;
Aut immobilis inflicta vadis
Haeret brevibus, mortua nec dum
Ante diem tumulatur arena.
Quod ſi te movet, Amphitrite,
Sors immeritae ſaeva puellae,
Tangit ſi te regia proles,
Formoſaque coetu comitari
Gaudes formoſo, venit en tuis
Virgo digna choreis.
Non hac, nuper numina ponti
Inter quae colitur, Cadmeis
Nitet ore magis, candida quamvis
Inter virides luceat undas,
Micat ut coelo luna ſereno.
I Dea curru delata levi
Per mare labens, miſeramque leva.
Tamen, utcumque eſt, ſeu crudeli

Fato

Digitized by Google

Fato occidis, es ſeu caeleſti
Ope in aeternum ſervata decus,
Nobis luctus, nobiſque dolor,
Lacrymae nobis, & querimoniae
Uſque relictae, funeſtabunt
Orbatam, te propter, vitam,
Omne per aevum.

Nun. *Ite, atque alios ſumite cultus*
Paſſiſque comis iterate novos
Queſtus, adductis liveſcant
Pectora palmis.
Numquam, poſita ex quo ſunt tantae
Urbis moenia, tantus moeror
Conſternatam perculit urbem.

Ch. *Jovis, o Melpomene, decus,*
Roſeo vincta cothurno,
Lyra cordi cui lugubris,
Delatum hoc tibi munus
Faxis perpetuum, rogo.

F I N I S.

ANTONII THYLESII

CARMINUM

LIBRI DUO.

ANTONII THYLESII

CARMINUM

LIBER I.

AD JOH. MATTHAEUM GYBERTUM
Clementis VII. P. M. Datarium.

I.

DOCTIS nobilitat ſacer libellis
Illos ſaepe poëta, vita quorum eſt
Segnis, mors velut, eripitque morti
Poſt mortem inſuper & facit perennes.
Tantum muſa viri poteſt diſerti!
Contra nunc ſed ego peto, GYBERTE,
Ignotum celebrare me poëtam
Per Te, cujus in Urbe, & Orbe fama
Indefeſſa volans canit benigne.
Quare hunc ſic Tibi dedico libellum,
Non ipſe ut capias decus, ſed eſſe
Per Te nobilis ut queat libellus.

Digitized by Google

II.

Ab Aenea rogatus Achaemenides Ulyſſis ſocius lamenta exponit, iraſque Polyphemi coecitatem deplorantis.

Hoc quoque, Achaemenides, referas, timor omnis abeſto,
Aequora namque tenet jam claſſis, fare age, Cyclops
Quos fremitus, miſeros ſolitus quos edere queſtus,
Lucis inops errat dum caſus lumina, & heros
Exanimis procul alta petens effugit Ulyſſes.
Nate dea, Teucrum decus, & ſpes certa, fatebor
Soſpite quo numquam Neptunia Pergama flammis
Conſediſſe; juvant quando haec, quae ſaepius hauſi
Auribus, expediam dictis, praecordia quamvis
Pulſat adhuc, prohibetque pavor audita profari.
Eſt prope ſpumantes fluctus ſub rupibus Aetnae
Spelaeum ſcopulis ſuper impendentibus ingens,
Dira domus, ſuffixa horrent ubi terga ferarum,
Brachiaque informi dependent ſquallida tabo.
Inde ferus, cum vix aperit Sol aureus Orbem,
Egreditur pecudes inter, vaſtuſque recumbit,
Qua ſalis aſſiduo pulſu cava ſaxa reſultant.
Hinc procul e denſis latitans ubi conditus umbris
Errabam, tales jactantem voce querelas
Auribus his tacitus ſuſpenſis ſaepe notavi.
Inviſum Superis caput hoc cur parcis in undas,
Lethaeas undas, tandem demergere, ſiqua
Es dea Trinacriae, quae rapta ſilentibus umbris

Im-

Imperitas? memini queſtus audiſſe parentis,
Armatuſque animis ingentibus ilicet ultro
Accurri laturus opem, timor ante ſed illum
Abſtulerat: rurſus dic mecum, fiſtula, carmen.
Aut pater altitonans unum e tot millibus ignem
Fulmineum, tibi quem manus haec formaverat olim,
Incute, ut immani transfixus verbere, vitae
Quod ſupereſt, reddam, placitaque in morte quieſcam.
Enceladus quondam velut actus turbine vaſto
Mole ſub hac flammas efflat latere uſtus, & ardet
Saecula tot: numquam Jovis ira extincta quieſcit.
Applorans rurſus dic mecum, fiſtula, carmen.
Tam procul Eois ſurgens rubicunda tenebras
Diſpulit ore nitens roſeo Titonia conjunx,
Undique & extinctus ſtellarum diffugit orbis.
Mox ruit, elabenſque flagrantibus exit ab undis
Extremas radiis luſtrans Sol igneus oras,
Et tremulis fulgore vadis accenditur aequor,
Impellunt animae quod leniter aſpirantes:
Omnia quae quondam fuerant mihi dulcia viſu,
Quae nunc perpetua pereunt caligine merſa.
Applorans rurſus dic mecum, fiſtula, carmen.
Plurima per ſilvas errat vaga turba volucrum
Nativis depicta coloribus, illa nec uſquam
Conſpicienda fluit celeri per inania lapſu:
Argutis tantum reſonant loca vocibus uſque;
Tuque arguta iterum dic mecum, fiſtula, carmen.
O nemus hinc illinc ſurgens ſuper aethera, quondam
Grata quies feſſo, cum ſtratus gramine molli
Suſpiciens teretes ramos ſuper impendentes

Gau-

Gaudebam viridi ſpecie reſupinus in umbra.
Hic hederae ſerpunt molles, hic arbutus antris,
Eminet hic fugiens in caelum garrula pinus,
Cum levis hirſutas frondes movet aura favoni.
Garrula tuque etiam dic mecum, fiſtula, carmen.
Obſtrepit ecce cadens ſaxis manantibus humor,
Et ſalebris offenſa procul reſpondet imago.
Ite ſimul prope me pecudes, ſimul ite capellae,
Lanigerae pecudes, hirtae, ſimaeque capellae,
Paſcite propter aquas, hic mollia pabula campi,
Hic dumoſa viret rupes, ne vis fera venti
Praecipites ſumma ſpecula deturbet in undas,
Ne lupus inſidias circum malus inveſtiget:
Ite ſimul prope me pecudes, ſimul ite capellae.
Tu quoque pelliti cuſtos gregis, ardua, pernix,
Strenua, fida, ſagax, venatrix, effera, pugnax,
Comminus occurrens fures age, candida Leuce.
Dulcius hoc iterum reſonet mea fiſtula carmen.
Caeruleo ſurgunt candentes gurgite Nymphae,
Stellantes nox picta ſinus ubi fuſca recondit;
Quas inter, mea cura, venit Galatea ſorores.
Hanc numquam vitreis e fluctibus egredientem,
Ceu quondam ſolitus fueram, ſpectare licebit.
Et nunc illa novos caſus miſeratur amantis,
Aſſidet & forſan, ſed ſupprimit ore querelas,
Ne mea praeſenti laceret praecordia luctu.
Dulcius hoc iterum reſonet mea fiſtula carmen.
Jamque procul viſus triſtes agnoſcere voces,
Et gemitus jam ſaepe meas gravis impulit aures.
Quandoquidem unanimes pariter conjunxerat ambo
Fidus amor, preſſitque tenaci compede vinctos.
Ex quo levis adhuc matrem comitatus euntem,
(Nam-

(Namque juvat meminiſſe meos, mea fiſtula, amores)
Conſpexi roſeis carpentem lilia palmis,
Et ſtrophio religata comas formoſa nitebat.
Dulcius hoc iterum reſonet mea fiſtula carmen.
Tunc primum rudis inſolito jactatus amore
Errabam, memini bis denas condere noctes,
Biſque dies denos ſolis ſub rupibus Aetnae.
Nec minor, Aetnaeis quam rupibus aeſtuat ignis,
Gliſcebat tenero ſub corde Cupidinis ignis.
Inſpexi primum liquidis tunc fontibus ora,
Florebat malis cum nondum pulchra juventus,
Luxuriemque comae fingebam laetus opacam.
Te quoque tunc primum modulans, mea fiſtula, cantus
Edocui, quibus obſtupuit genus omne ferarum,
Atque evulſa procul radicitus affuit arbor.
Tum vaga praecipites tenuerunt flumina curſus,
Et mea victa novis concentibus, effera quamvis,
Nata mari quamvis, properans e fluctibus ultro
Adnabat, dolor eſt, haec & meminiſſe voluptas.
Frigidulam ab quoties, trepidamque amplexus in acta
Nuſquam amittebam, donec ſuſpenderet altam
Luna facem, & tremulis ſplendeſceret ignibus aether.
Tanta mihi quae nunc ceciderunt gaudia, nec te
Aſpiciam poſthac levibus ſuper aequora plantis
Nereidas inter blandas agitare choreas.
Triſtius extremum repetat cava fiſtula carmen.
Vivite montivagi Panes, vos vivite Nymphae.
Ille ego ſum Cyclops Siculae modulator avenae,
Paſcere doctus oves, calathoſque intexere junco,
Et canibus luſtrare ſagacibus omnia ſilvae,
Viribus invictis quondam, quae cuncta nefandus
Abſtulit in tenebras rapiens mihi noctifer atras.
Triſtius extremum repetat cava fiſtula carmen.
Stultus ego! Eurymides praedixerat omnia vates:

Infelix Cyclops, Ithacus tibi frontis honorem
Demet Dardaniis veniens rate vectus ab oris.
Quae, niſi demta foret mihi mens prius, evitaſſem.
Venerat, & blando celans immania vultu
Inſidiis animum rapuit malus ante, doloſi
Triſtia dona ferens nimium pretioſa Lyaei:
Nectar erat dulci mihi nectare dulcius Hyblae,
Et ceu Lethaeo dilutum flumine ſenſus
Eripuit, circum viſi concurrere montes,
Et remeare vadis refluentibus Acidis unda;
Tum geminum caput attollens pecus omne per aequor
Cernere erat paſſim liquidis colludere campis.
Jamque ſopor preſſit languentem, ſponte nec inde
Territus exſilui, caecaque in nocte volutus,
Caede madens, uſtuſque genas, ferus., anxius, amens,
Voce fremens, miſer errabam, ruit undique ſilvis
Turba minax, nec quo ſe vertat, conſpicit uſquam.
Ille etenim inſultans, victorque fugacibus Auſtris
Vela prius procul hinc dederat levis ales in altum,
Atque ingrata ſui monumenta aeterna reliquit.
Triſtius extremum repetat cava fiſtula cermen.
O pater, o pelagi regnator, ſiccine inultum
Me ſinis? inviſi navem praedonis adactam
Quin rapis huc nobis perdendam? vulſa videres
Corpora jacta manu, pontoque immerſa cruento:
Jamque volant paſſim correpta cadavera raptis
Viſceribus, rivique fluunt jam ſanguinis atri;
Tum capitis diri direptum lumen utrumque
Disjicerem, poenas lueret, quas repperit ipſe,
Suppliciis quando nihil eſt bis tetrius uſquam.
Triſtius extremum repetat cava fiſtula carmen.
Vel tu, ſiqua mei tangit te cura, procellas
Injice, ut impulſus per ſaxa furentibus Euris
Frigidus exhalet vitam ſine honore ſepulchri.

Quod

Quod ſi fata negant, patrioſque reviſere portus
Conſtituunt, longis, duriſque laboribus actus,
Da, Pater, amiſſis ſociis crudelia paſſus
Hoſpitia, ignotaſque pererret naufragus oras.
Quin etiam exhauſtis erroribus in ſua poſtquam
Regna revectus erit, manus impia morte cruentet.
Haec horrenda fremebat atrox Polyphemus ad undas.
Quae mea ne poſthac quaterent tremefacta pavore
Pectora, tu tandem veniens dux inclyte Teucrum
Eripis, & dira ſervas a morte receptum.

III.

ARCHINTI Hortulus.

FEſſus eram, bibulis licet auribus inter eundum
Haurirem, quaecumque meus Corvita ferebat,
Jucundus, ſi quiſquam alius, facundus & idem;
Diva animum excoluit cui Pieris, atque in utroque
Juſſit ut excellens ſermone, Graja Latinis
Adderet, & patriam ſtudiis decoraret honeſtis:
Cum mihi per tempus profert ſe Archintus agendis
Spectatus cauſſis, ſeu ſacris, ſive profanis,
Nec tamen a Muſis quicquam ſemotus, & ambo
Quo properant? melius ne pati nunc pulveris hauſtus?
An aliud, ſuadent quod tempora forſan, & aeſtus?
Haec ait, & dextra pariter, laevaque moratur
Injecta geminos, ceu polypus acer, & ad ſe.
Non hercle invitos trahit ille, ſequemur? ego inquam.
Qui potis inquit eris meus hinc avellier uſquam?

Digitized by Google

Veſtibulum ingredimur, mox. Hortulus excipit herbis
Fertilis, unde halant varii, nova germina, flores;
Quaſque ſolet Paean, ſenior vel filius olim
Colligere, & ſuccis morbos depellere taetros,
Queis calor extinctus redit in frigentia membra,
Pallor abit ſaevo revocatis Manibus Orco.
Multaque frondoſis viret haec arbuſcula ramis
Buxifero quondam procul huc advecta Cythoro,
Materiam unde faber ſerratis dentibus aequans
Mundiciem in capitis format, comtumque capilli.
Vertit & hanc circum tornans ſtridentibus armis,
Quae matris retinet nomen, ſeu conditur illic
Gurgitis eſca mali, irritamentumque nepotis,
Quo ſcabies magis increſcit veſana palati;
Sive Euros, Zephyroſque notant ſpirare per aequor
Nautarum vaga turba, ſilent licet omnia ventis.
Artificis ferro nitet haec detonſa bidenti,
Surgit & (horrendum) varias imitata figuras.
Frondeus ingreſſos terret ferus ora Coloſſus,
Saevit & allatrans canis aſper non minus, atque
Perſephones rabiem cujus male ſenſit amator.
Navigat hic ingens mare corbita, alta videres
Carbaſa tenta Noto, diſtentos undique funes;
Nereides prope conſurgunt, ceu cum vada quondam
Caerula prima novo ſulcavit flamine puppis,
Abductura gregis decus ingens, quo Thetis alma
Tempore Pelaeo correpta cupidine ſenſit
Quid ſit amor, gelidiſque exarſit tota ſub undis.
Nec mora (tanta repente medullas flamma peruſſit)
Enatat, inque atram fugiens mutata figuram,
Falleret ut centum Nereo genitore ſorores,
Saxa per, & cautes, & ſalſas labitur undas;

Ab-

Abditaque in ſcopulis latebroſis dulcia carpit
Furta, nec undanti meminit ſe reddere ponto.
Quid loquar & Dryadum facies? Satyrique bicornis?
Diceret hunc quis non Veneris ſtimularier oeſtro?
Intortoſque ſinus, ſpiriſque ingentibus angues?
Et circumtonſos orbes, ſimulacraque caeli?
Ardua quid referam ſacri faſtigia templi?
Eſt ubi, quem dixiſſe nefas, ne ludicra veris
Miſcere, & levibus confundere ſacra, ſit ingens
Relligio, ſed quo naſcente pericula mille,
Mille vias lethi vitavimus, ante reflexo
Poplite ſuſpiciens triſti vir flebilis ore
Pectora contundit ſcopulo, ferus adjacet una.
Omnia quae formata licet ſimulataque, dices
Mortua non haec ſunt, non haec ſine motibus eſſe.
Nam creſcunt, pariterque vigent, & ſuppetit humor
Cuique ſuus, cunctas nutrix alit ubere eodem.
Quod neque Praxiteles mira quae fecerat arte
Contigit, aut tabulis quaſcumque probavit Apelles,
Sive luto quiſquam, fulvo ſeu claruit auro;
Haec, quando numquam ſunt aucta vigoribus ullis,
Vivere ne vere affirmes, quae nulla moventur.
Caetera me rapiunt, & paſſim lumina ſiſtunt.
Quae Mirtus Veneri, quae grata eſt Vitis Jaccho,
Utraque formoſa eſt; gracili nitet altera ramo,
Frondibus & pariter poſitis conſurgit acutis,
Semper odoratis, ſemperque virentibus iſdem;
Altera condenſat ſcenam diffuſa, virenſque
Laeta comam aeſtivos defendit tegmine ſoles.
Nil tamen oblectat me valdius, atque virenti
Praetentus paries hedera, quae plurima lapſu
Multiplici ſerpit lambentibus omnia ramis,
Grata Deo, mentis qui curas eluit acres.
Namque novercales hac tectus parvulus iras
Effugit, Thyrſos ornat qua nunc memor, inque

Digitized by Google

Crateras torquet, curruque, & Tigribus aptat;
Dat quoque ferre ſuis, ſibi nec Deus invidet illam,
Veſtit at impubeſque genas, crinemque madentem,
Ne rapidi exurat faciem vis ignea Solis.
Voſque Deûm curae vates hoc munere donat;
Ut quoniam numquam frondis decus interit aeſtu,
Nec glacie, pluviiſque, viret ſed jugiter illa,
Tempore ſic omni vobis quoque fama perennet.
Salve hominum, Divûmque decus, formoſa virenſque,
Ambitioſa, ſequens quodcumque amplecteris, errans
Mille viis, laſciva, fluens, molliſſima, levis
Nec minus, innumeris fibris quae infixa ſupremos
Aſcendit ramos innitens arboris altae.
Nec telluris amans tantum, ſed cortice, quamvis
Praedura, ſurgis laetiſſima, cornibus inque
Ramoſis viſa es celeris quoque vivere cervi,
Teque fuga rapit ille ſua venatibus actus.
Digna polo tandem, nam tu quoque ſidere fulges
Aurea, Minois poſtquam miſera occidit, & te
Depoſuit triſtis Liber, caeloque locavit.

IV.

Lucernam deſcribit a Lampio patricio Mediolanenſi dono miſſam.

AEnea vincta hederae foliis cava tempora Bacchi
Affixae gratum praebent mihi Lampadis uſum.
Vertice nam qua ſe partes coma vertit in omnes,
Et tenuis gyro capitis patet area ſummi,
Deſcendit velut exiguae teſtudinis orbis.
Cornibus hunc operit religatum emblema gemellis
Inſigne, inque vicem retegit ſpecus inde remotum,

Agri-

Agricolae munus quo Palladis inſtillatur.
Quem ſimul accepit calva aerea parva liquorem,
Mittit in os, animi cui nuncia lingua palato
Exerta, & ſulco caelata ellychnia anhelat.
Uſque laboranti ſimilis perſona videtur:
Aeſtuat, efflat hians ardentes faucibus ignes,
Atque exuſta genas atro furit horrida vultu,
Ejectus quondam Semeles velut ignibus alvo.
Grata mihi, & noſtris aptiſſima dona Camoenis
Lampius haec dedit inſignis patriaque, domoque,
Lampius ingenti mecum conjunctus amore.
Scilicet ut, veterum ſeu me monumenta virorum
Noſſe juvat, Latium, vel quos tulit Attica Tellus,
Ludere ſeu mihi quid libet inter carmine curas,
Queîs ſcatet undique vita calentibus inſperatis,
Lumina ſufficeret tam cari munus amici,
Et quaſi jucundi ſocius foret ille laboris.
Ignipotentis opus fuit hoc, Deus hoc ſibi primum,
Ipſe ſibi, & ſponſae formavit Mulciber, exit
Vertice quae ſacro; nam quamvis bellua nobis
Perſimilis nutrit ſimilem turpiſſima alumnum,
Tardigradumque, moleſte, ac turpiter incedentem;
Attamen ictus amore procaciter appetit uſque
Conjugium duro formoſae Palladis ore,
Quamvis laeta oculos, quamvis nitet aurea crines.
Nec pater abnuit hoc; carum ſed nata pudorem
Caſta negat ſibi poſſe auferri viribus ullis.
Ergo infelicis deus in ſolamen amoris
Finxit, ubi foret inventum utriuſque deorum,
Et ceu nocturnus vigil eſſet conjuge miſtus.
Lumineque appoſito faber Aegida perficit illi,
Spicula praefigens adamantina vel polit haſtae,
Aut crebris tegmen capitis cavat ictibus aurei,
Frigida cum tremulis nox ignibus atra relucet,
Candidus & fuſcae frater ceſſiſſe ſorori

Non dolet Oceani delapſus in ima barathri.
Mittit & hanc ipſam gemmiſque, auroque decoram,
Ingentem, expreſſam ſignis, quo laeta tenebras
Pellat, opus ſi quod caeleſti lucubrat aula,
Aurea ſeu torquet ſubtemina, pectine denſat
Seu telas, urgenſque argutis plauſibus aequat;
Ornat acupictrix ſeu pallam, nam licet uſque
Caſta dea eſt, cupit uſque tamen formoſa videri.
Nec minus hinc illinc omnes jam commovet in ſe
Spectantes cupide Divos, oculiſque inhiantes,
Quam ſoror Idaeis victrix convallibus olim;
Quamvis illa Cupidine ſit comitata volucri,
Efferus occultos qui ſpargit arundinis ignes,
Semper & huc illuc blandos Dea ſpirat amores.
Interdum ſtudioſa coloribus atria caeli
Diſtinguit vaſtos armans in praelia fratres,
Enceladumque, Typhoeumque, aëriumque Mimanta,
Et movet hinc acies horrendas, inde Deorum,
Bellonamque, Gradivumque, Amphitryoniademque
Ipſumque ardenti jaculantem fulmina dextra
Impavidum Altitonantem, animiſque in bella ruentem,
Quem prope Gorgoneis aſtans furit anguibus ipſa,
Nec ſuperas tanto diſcrimine deſerit arces.
Unde Deus ſeſe gaudet ſpectare, memorque
Difficilis quondam pugnae pictoſque triumphos
Perlegit, & carae libat pater oſcula natae.
Quin etiam Phoebi, Muſarumque aemula Pallas
Nocte ſilente modos, & carmina digna Deorum
Auribus invigilat, docet haec, quos diligit, ipſa,
Omnia ſollerti fingit quae pectore diva,
Atque alia, gratum deſpecti ad lumen amantis,
Cum facibus primum mortalis ſedulus atram
Diſpellit noctis nebulam, caecaſque tenebras.
Idque eſt, qui caelo nunc Palladis Heſperus ardet,

Heſpe-

Digitized by Google

Heſperus, aeternum decus altiſonantis Olympi.
Non minus hic quamvis Divûm Regina, Venuſque,
Et galea inſignis Tritonia certat, in uda
Quam Phrygio quondam ſub judice lis fuit Ida.

V.

Aeſtu, remigioque feſſus cum e navi deſcendiſſet Alethes Syracuſanus, aerumnas exponit miſeriaſque Nautarum.

Solverat Aetnaeis puppem longaevus Alethes
Finibus, & ſolita ſulcans vada ſalſa carina
Nota Syracoſiae repetebat littora terrae;
Cum defeſſa manus juvenum per caerula remex
Aequora, ſolis aquas flammis urentibus ipſas,
Aetherei medium jam conſcendentis Olympi,
Scrupea, quae cernunt cava proxima rupe ſub ima,
Antra petunt curvis laquearibus edita ſummis,
Deſuper incumbente coma ſpiſſa arboris altae.
Lympharum ſcatebris frigentibus inſonat & fons,
Fons praedives aquae dulcis, quem glarea rivum
Excipit, & lapidoſa velut remoratur, amaris
Ignarus ne ſe praeceps immiſceat undis.
Algida dumque aliis ſomnos facit umbra, toruſque
Graminis, ales opacae & garrulus incola ſilvae;
Ipſe ſenex mecum recubans, ſic me modo triſtis,
Inviſum ſpectans pelagus modo, talia fatur.
Quae mala mens, quaeve ira Deûm te compulit, hoſpes,
Ignotas tentare vias, noſtroſque labores
Diſcere, & infidis ultro te credere ventis?
Conditio nulla eſt hominum crudelior uſquam,
Quam mare, quam triſtes hyemes horreſcere, nec cum
Aequora tuta vides, jam tunc datur hora quieti.

Sed

Sed miſeri inſanos aeſtus, & ſaeva viciſſim
Frigora perferimus noctes freta vaſta, dieſque.
Aſſueto incumbens operi jam laſſus arator,
Veſper ubi, piger agricolas agit ante juvencos
Per nemus, irrepitque domum, dulceſque reviſit
Servantes limen fida cum conjuge natos.
Raraque poſt miles pulchri certamina belli
Dives, honore fluit, functuſque labore quieſcit.
Nobis nulla quies, viſu quid ſaevius uſquam eſt,
Quam ſi quando maris facies turbatur, & imis
Sedibus eructat ferventi gurgite fluctus,
Pontus & illiſus ſcopulis ſuper aethera ſurgit?
Hinc atque hinc ignes exterrent nubibus atris,
Humidaque immiſſis feriuntur carbaſa nimbis,
Et convexa tonant ingenti murmure caeli,
Cunctaque nox horrenda cavo convolvit amictu.
Exitium crudele oculis tunc omnibus haeret,
Nec ſpes ulla fugae pavidis, maris obruat unda,
Cautibus an caecis immani turbine adacti
Vitam exhalemus miſeram ſine honore ſepulchri,
Et ſuper advolitent nudata cadavera Mergi.
Quod ſi forte Pater Neptunus parcit, & audit
Vota libens, mulcetque ſecundis aequora ventis;
Non tamen eſt quicquam non formidabile nautis.
Saepe etenim ſcopulos impacta tegentibus undis
Membra natant paſſim fragilis disjecta carinae,
Aut compage ſeneſcit hians, fluctuſque vieta
Accipit occultos, portu quêis mergitur ipſo:
Sentit enim tutos non ſemper navita portus.
Quid, laeti quoties levibus delabimur auris,
Nec timor ullus habet, ſubito cum remige praedo
Improviſus adeſt? altis nam ſaepe cavernis
Peſtis acerba hominum ſpeculans latet abdita furtim,
Armatuſque animis ingentibus evolat acer.
Nec tantum fuerant tantis quae parta periclis
Diripiunt, duris ſed vinclis nectimur, unde

Non

Non datur effugium, donec miſerata labores
Expectata animae nexus mors corpore ſolvat.
Ter maris unda furens aquilonibus horruit atris,
Subdola ter faciles revocat pellacia nautas
Blandius aeſtivis ſolito inſidiantibus auris,
Dicitur haec Grajis Siren maris accola vaſti,
Ex quo ſola duas armatas Maura biremis,
Et minor, ingentes expugnat fraude carinas.
Mira quidem, ſed res nulli non cognita tanta eſt.
Nam geminas longo cum cerneret intervallo
Remigibus liquido, viridique incumbere campo,
Quae propior, fidens animis, atque artibus illam
Aggreditur, laetiſque volat clamoribus ultro.
Explicat & noſtris eadem vexilla, velut quae
Congreſſu laetetur amicae, viribus impar,
Scilicet ut ſeſe non hoſtem oſtenderet hoſti;
Atque ita vela facit, tectiſque adremigat armis.
Ergo quae properans prius exſilit aſpera pugnae,
Capta dolo, infelix plauſus quoque reddit amicos.
Nec mora, multipedes polypi correpta tenent ceu,
Hinc illinc congreſſa manu religatur ahena;
Inſiluitque levis pubes diro effera vultu,
Sternit & incautos ferro, natat omnis ubique
Per juga, perque foros reſperſa caede triremis.
Deſiluitque ſalo pars integra vulnere, & ultro
Maluit extingui crudeli funere in undis,
Quam ſubiiſſe truces gladios, & compede dura
Impedienda dare immani veſtigia Mauro.
Cetera ut aerumnas ſervata ſpirat in omnes.
Nec ſatur îis animum rebus, vel ſanguine praedo,
Victricem, ceu victa foret, de more carinam
Pone ligans victae, ſociis redit obvius audax.
Alter ſucceſſuque tumens, ſpe elatus & idem
Concurrit, ſociae rebus gratetur ut alter,
Proſpectu ſecus eſſe putans, quam res foret, atque is.
Laetus utrinque ſonat diffuſus in aequora clamor.

Et vario dulcis certat ſymphonia cantu,
Expreſſiſque tonat tum fiſtula ferrea bombis;
Eque ſua jam tunc habitum mentitus, & arma
Bis felix multa pervertit caede triumphos.
Quid tibi quanta fuit referam pretioſa ſupellex?
Pondus & argenti? fulvi quid pondus & auri?
Utraque cum gemini longum dominata per aevum
Aequoris imperioſa daret jura omnibus undis.
Flos quoque libatus ſiculis perit omnis ibidem,
Nec poſita immortalis adhuc inſignia luctus.
Non ſatis eſt duris committere praelia campis.
Sæva ſuo gaudens hominum gens ſanguine claſſes
Deducit, mediaſque hoſtes irritat in undas,
Confliguntque domus compulſæ per mare vaſtum,
Arx volat, & pelago concurrunt oppida, & urbes.
Undique tela cadunt, immania ſaxa, faceſque,
Quæ gelidis ſerpunt in fluctibus. unde vel igni
Uſta perit navis; vel mole ſepulta ſub unda eſt.
Cognita quin etiam rigido velut arietat ore
Bellua, pertunditque ratem, terebratque ſub undas.
Quo ſimul irrupit furtim vis æquoris ingens,
Et depreſſa mari ſubſidit, funera victrix
Diſcerpens rabido depaſcitur improba morſu.
Nec miſeris inimica lues natat hæc modo nautis.
Crederet, hæc niſi monſtra fuit cui cernere, quiſnam?
Inſtar at immenſæ vomit ore erecta columnæ
Altera flumen aquæ immergens homineſque, rateſque,
Reddit ut exſaturatus aquas olim imbrifer arcus.
Eſt quoque, quæ exſuperat dorſo, velut inſula, vaſto.
Currentemque evertit agens molem obvia Priſtis,
Horrendum viſu, quales confligere quondam
Cyaneas timui cautes, quae plurima ponto

Saxa

Saxa vagantur aquis ingentia, fluctibus acta.
Parvaque, mira quidem ſed res jam nota, Echeneis
Ingentem cohibet navem remorata volucrem.
Namque tibi auditum puto, quod Scinis in ſpelunca
Prodigium paſcebat atrox, cum rupe ſub alta
Teſtudo exſiliens projecta cadavera in aequor
Corripiebat hians: natat haec non ſola per undas.
Plura quoque emergunt variis portenta figuris,
Atque aliae innumerae peſtes maria omnia complent.
Tutus ab aligeris errat nec navita ponto.
Nil referam, ſtupui quod & ipſe, ut Strymonia Grus
Altivolans petat horriſono nos deſuper imbri.
Cum ſecura maris, defeſſaque pondere ſeſe
Exonerat, laxatque volas novus, unde pluit ros.
Denſa phalanx etenim commigrans transfretat aequor.
Hoc miſerum multo magis accidit. horrida nubes
Ortygiæ nomen dedit inſula ſæpe volucrum
Cum freta tranſmittit, ſimul involat omnis, & alveo.
Incumbens peſſum plago dat. turbine nec ſic
Exhorrent, trepidantque atram nautae omnibus horam.
Aut ferus expugnat cum moenia barbarus hoſtis,
Conſternata tremit ſic omnis turba tumultu.
Horribilis venit ut pavidis exercitus hoſpes,
Laſſus ut in ſicca ſidens ſtatione quieſcat.
Utque nihil, quæ dicta mihi, contingeret unquam,
In terris quidnam gravius, quam vertere fluctus
Remigio? & duris intendere brachia tonſis?
Aut tortis verſare rudentibus undique vela?
Et curſare jugis? undaſque immergier infra?
Murice nam ſcopuli perſaepe tenaciter hæret
Anchora, quam potis eſt vis demere nulla ſuperne,

Ni natet huc aliquis penitus cava ſaxa pererrans,
Atque animam compreſſus, aquis vagus omnia luſtret,
Et manibus ſiſtens infixam detrahat uncis
Vix tandem inventam undae, atque obluctatus arenae.
Hei mihi conſumptis lacrymis, tamen haeret in imo
Corde dolor, unquam nec defluet, unica proles,
Speſque meae fuit, & requies jucunda ſenectae,
Ora puer primo veſtitus flore juventae;
Dicta ſyracoſii fuerat cui filia Glauci
Leucothoë, ſpecie ante alias pulcherrima virgo.
Cui res cuncta domus tot parta laboribus uni
Dotalis ſervatur adhuc intacta puellae.
Hic dum merſus aquis audax petit ima profundi
Aequoris, (heu laeſi imprudens quo crimine Divos!)
Infelix oculis noſtris non redditus unquam eſt;
Vortice ſeu victus, quamvis nec fortior alter
Nare minas inter pelagi; ſeu fixus inhaeſit
Anguſtas inter cautes; ſeu bellua nantem
Invaſit, gliſcunt variis namque aequora monſtris.
Notus Abydeni tibi quondam caſus amantis.
Nec potui ſaltim funus producere, & inter
Cognatos patrio cinerem mandare ſepulcro;
Piſcibus at lanianda feris mea membra reliqui.
Poſt illa & potui caeleſti veſcier aura?
Sed redeam ſaevus divertit me dolor unde.
Omnia ſunt miſeranda. caput vix ponere tranſtris
Nocte licet, feſſos duriſque ad murmura ponti.
Colluvies quo foeda fluit taeterrima peſtis,
Et gravis in ſuperas efflatur ſpiritus auras.
Semper & huc illuc fluitant cava lignea pulſu
Undarum; currunt ſcopuli, terraeque recedunt,
Vertitur atque aër circum; tum nauſea victum
Rejicit. at ſiquando fames furit improba, tantum
Atra Ceres modice ſuccurrit ſumta, bis uſta,
Atque

Atque exeſa ſitu, nec munda: hac veſcimur omnes.
Pocula nec dulcis nobis ſunt nota Lyaei,
Parcus at humor aquae longo corruptus ab aevo ;
Qui tamen interdum cum deficit, & ſitis angit
Arida, amariciem triſtem, ſalſoſque liquores
Cogimur exhaurire, nihil quo taetrius uſquam eſt.
Nec non ſaeva diu tempeſtas obſidet oris
Jam procul, importuna fames ſubigitque vel ipſos,
Quemque ſuos, (dirum!) conſumere dentibus artus,
Sponte fatigatas animas vel tradere ponto.
Singula ſi ſequerer, quae ſunt aſperrima, fari,
Undique quod miſeris ſit deplorabile fatum,
Ardentes Sol ante rotas extingueret undis
Oceani, & tremulis ſplendeſceret ignibus aether.
Nimirum ferus ille fuit, qui littora liquit
Primus, & inſanos auſus contemnere ventos,
Et dulcem rapidis animam objectare procellis.
Non ſatis huic fuerat vitam duxiſſe vel intra
Oppida tuta frui vel ſilvis. o mihi quando
Hoc dabitur, lucos inter, campoſque virentes
Securo, ſupereſt vitae quod, vivere, cunque.
Eſt mihi rus modicum patriae prope moenia terrae,
Fons Arethuſa tuus qua dulci exuberat unda,
Deſpicere unde licet pulſantes littora fluctus.
Humida nec tantum praetendunt nubila caelum,
Quin nitidus pulſa caligine rideat aër,
Et dulces ſpirant Zephyri ; tum floribus halat
Pinguis humus, ramis denſiſque refrigerat umbra.
Hic mihi jam certum eſt tandem requieſcere, ibique
Immanem tibi conſtituam, Neptune, Tridentem.
Semper aquis quoniam primo verſatus ab aevo
Vitavi impendens fatum, manibuſque relapſus
Saepe fui dirae Mortis, quae turbida vultum,

Et

Et furiale tuens inſtabat faucibus atris.
Sed ſatis haec, leni increpitans vocat aura ſuſurro,
Et favet impulſum ventis mare: forſitan audit
Ipſe Pater, votumque libens Deus accipit aure.
Surge age, & optatos fines cernamus ovantes.

VI.

De Arce Mediolanenſi fulminata.

Aërio ſuperans Turris modo vertice nubes
Quo disjecta abiit? Jovis haec fuit ira Tonantis,
Ira Jovis magni, trepidat cor, mente recurſat
Nox ubi, cum venit Heſperio prius igne diurna.
Nec facies eadem caeli, modo denſa tenebris
Terrificat, pavidos ſternit modo flammea, vaſto
Murmure dejectis caeleſtibus undique telis.
Unum, quae molita fuit manus? omnia flammis
Occupat ante, fragor ſequiturque immanis, & uſque
Verberibus furit horriſonis, tum funditus omnis
Urbs quatitur, clauſas ruptis patuiſſe feneſtras
Vectibus extimuit gens territa, plurima ſacris
Cardine vulſa procul jacuit quoque janua templis.
Altera jam alterius noctis nox additur umbris,
Jam tandem docet ingentes lux orta ruinas,
Et vigiles, luſi ceu ſomno, cernimus ultra
Cuncta fidem, paſſim per campos ſaxa patentes
Sedibus ejaculata ſuis, immania monſtra,
Sic poſita, illaeſa (mirum!) ut tellure jacerent.
Quanta nec inſurgens Salaminius impulit Heros,
Nec pius Idaeis, Latiïſque expertus in oris
Trojus, aut claſſis fugiens victoris Ulyſſi.
Illa etenim aëriam vis diffidit ignea molem,
Sulfure miſtus ubi fuerat ſitus abditus olim,

Parie-

Parietibus ſitus eraſus ſquallentibus ante,
Namque pruina velut caneſcens floret opacus,
Occupat & deſerta domus lanugine ſentus,
Quo gravibus tormenta ardent immania bombis,
Cum teres impletur ſpecus uſto fomite adacto,
Aëreaque inculcata cavum pila truditur orbem,
Obſtruit & cumulus ſpiramina pulveris atri,
Semina qui admoti ſpira ſimul allicit ignis,
Emicuit ſtridens, penitus mox lapſa per arctum
Inteſtina vorat fax ilicet omnia, & acris
Flamma furens vacuas ſaevit prorumpere in auras.
Inſitaque excutitur, vique evolat excita peſtis
Bellica, perque viros fertur, qua denſa minatur
Hinc atque hinc acies adverſa micantibus armis,
Omnibus ore tonans vaſto ſaevam horrida caedem.
Nec potis ulla phalanx obſiſtere, ſed velut amnis,
Cum praeceps agit arva, nec objice ſegnior ullo eſt,
Sic quacumque furor venit igneus, omnia differt,
Atque catervatim ſternit, capita aenea equorum
Tollit, idemque virum fortiſſima pectora telum.
Ulteriuſque volat, nec pone ſequentibus, ante
Qui pereunt, quicquam proſunt, ex ordine cunctos
Diſſipat, ora, manus, & mille cadavera acervat.
Quaque prius confertus erat globus, ampla videtur,
Plurimaque hinc illinc deletis ſemita turmis.
Oppida quid referam quo verbere disjicit? hoſtis
Fulmineo vallata quatit cum moenia telo.
Edita nec quamvis rupes praeciſa, minaxque
Suſtinet immenſis erectas turribus arces,
Eſt quicquam; ſubjecta cadunt quoque fragmina montis.
Nec minus hinc Steropes propugnans, quod procul omne

Cumque videt, ſaevis collimans ictibus aufert,
Erigit inque Deûm ſedes, ſupera aſtra laceſſens,
Unde ruina cadit cunctis trepidantibus ingens,
Tecta ſuper, tabulataque tranſvolat omnia praeceps;
Perque ſolum penitus fugiens diverberat ima
Tartara, & exſangues terret formidine Manes.
Quod ſi tergeminis cum montibus impia tentant
Praelia Terrigenae centenis enſibus unus
Quiſque fremens, haec nota feris portenta fuiſſent,
Victa foret numquam ſuperis manus horrida telis.
Maxima quin potius ſublimia ſidera Mundi,
Et gemina accenſae fregiſſent cornua Phoebes;
Tuque pater lucis dejectus inane per ingens
Nullus grata dares extinctus lumina, Titan.
Quis male tam ſollers finxit, quod nulla vetuſtas?
Aligerum ſummis fugientem nubibus, atque
Iäpetionidem tulerit licet illa Prometheum;
Unde homines ficti luteum genus, & tamen illic
Terrenis fertur caveis clauſiſſe volucres
Aethereoſque animos ſubducto callidus igni.
Cuncta tamen docuit quicquid vetus, haec nova & aetas,
Praeſtitit inventum ſuper, ſeu Rheticus illud,
Seu Meroë dedit exanimi circumflua Nilo.
Quis tamen, ille mali, ſive haec fuit auctor, in iras
Prodidit arma Jovis faber irritabile numen,
Aetnaeus faber acceptus male, namque tenebris,
Deque die imparibus feſtinat greſſibus uſque,
Deturpans nigra toſtas fuligine malas;
Dum grave tollit onus, ferro verſatque bidenti,
Exacuit rapidas ſeu tela ſequentia flammas,
Sive coactus opus Marti facit armipotenti;
Cum interea ambroſiae ſuccos, & nectaris ille

Per-

Perpotat ſtrophiis redimitus in aetheris aula,
Aſſidet & carae, cura haec cor valdius urit.
Nam niſi conjugio parens uxorius eſſet,
Ipſa ſuas ſibi haberet opes Cypris edita ponto,
Dotalis quicquid dives fert inſula, & oris
Quicquid gemmiferis vitrei lavat aequoris unda.
Idque videns muſſat furibundus, & uſque cavernis
Inſonat Aeoliis, tantus timor urget amantem.
Neve tori inſidiis vigilet, vafer edocet artes,
Oſtenditque dolens furtim caeleſtia tela.
Unde ruit, vaſtumque extrudit pondus, & inter
Ipſe venit turmas Vulcanus, nec ſua vires
Arma ferunt, juveni Pelidae qualia quondam
Fecerat aequoreae Thetidis prece victus amator.
Namque Deus numquam eſt non pronus ad ulciſcendum.
Ipſa parens, Regina Deûm, ſoror, & Jovis uxor
Inſidioſa ſui ſtupuit nova munera nati,
Lumina cum ſolio fugientes abdidit aureo
Intendens laqueos ultus faſtidia matris.
Praeter enim Olenio qui germine natus adulter
Senſit idem, pater indoluit quoque conjuge Divûm
Tenuibus irretita adamantibus undique nexis.
Quare nec Mavors fera praelia tentat, ut ante,
Nec Bellona gradus, nec confert Attica virgo;
Quippe hominum armati metuunt nova fulmina Divi,
Et videt eſſe Joves tot terris Juppiter unus
Aethereus; fremit infrendens hinc horridus ira
Dementis memor Arcadii, quem vana ferentem
Fulmina, detruſum veris ſub tartara adegit.
Ergo caeleſtis, penetrabilis, & vagus ignis
Miſſus adeſt, rapuitque cados, queîs condita mille
Hoſtilis fuerat caedes, ſi ſiſtere contra
Auſa manus foret ulla potentibus obvia belli.
Altera namque dies ſimul orta rediret Eoo,

Mittere perniciem fuerat mens hoſtibus atram,
Qua pater Eridanus pingues ſecat aequore campos.
Praelia quanta illic, & ſtrages quanta fuiſſet!
Haec metuens gravibus ſummo ruit axe quadrigis
Noctiferas nubes Saturnius, imbriferaſque
Saevus agens, Turriſque Ducum monumenta priorum,
Tamque operoſa petit ferus impete moenia vaſto.
Ilicet ima furit, capitur nec fornice, quamvis
Ingenti, petitura poli loca celſa, Deûmque
Sidereas, vitreaſque domos late excita flamma,
Ni praecluſa foret circumque, & deſuper omnis.
Hinc enixa, datur nullus poſtquam exitus, alta
Culmina convellens jacit in ſublime, volantque
Sidera trans ſuſpenſa trabes, radicitus atque
Diſſiliunt imis ingentia ſaxa cavernis,
Marmorei poſtes, ſimulacra, inſignia regum.
Unde urbs contremefacta ſolo, procul icta ruinis,
Exanimata fragore, noviſſima palluit amens.
Trinacris ut flagrans rupes cava perfurit olim,
Undique collapſis ſcopulis cum flamma ſepulta eſt;
Sicelis unde tremit Tellus; mox mille ſub auras
Saxa vomit vaſtis Crateribus alta vorago;
Arvaque, littoreique ſinus, urbeſque, mariſque
Aequora complentur, trepidis pavor omnibus idem eſt.
Excidio cuſtos devotae ceſſit & arcis,
Trans vada lata mitra bifida redimitus acuta,
Et levam armatus lituo, dextramque flagello,
Stabat ut ante fores venerandus imagine Divus.
Et comes elapſa eſt ſerpens Epidauria, ſacri
Velleris, Heſperiaeque vigil cuſtodia ſilvae
Involvens geminam ſinuoſis flexibus Arcton.
Quique ingens Turris faſtigia celſa tenebat,

Mar-

Martius, inſignis galea, & calcaribus, ipſe,
Quem docuit roſeis pictum palearibus Atlas,
Perſarum procul huc vectum regionibus uſque,
Quem villoſa pavet Cybeles, refugitque curulis,
Tunc primum tentare coactus abeneus ales
Nocturnaſque umbras, rapidoſque volatibus imbres.
Et levis excelſo ſublatus in aethera lapſu,
Allaturus opem fundo gravis affuit imo.
Fundamenta fuere ubi, ſed dejecta, ſuperbae
Turris, ibi vaſtus barathri deſcendit hiatus.
Hinc atque hinc vulſo patet ingens pariete porta,
Quem ſuper agreſtis pellebat plauſtra Bootes.
Bis duo lapſa ſuper poſt ter quinquennia centum,
Terque replens ſenos Dictynna reſecerat orbes,
Lux ea, clavigero dicta eſt cui proxima Divo,
Exoritur ſaeclis ex quo prior omnibus infans,
Cum diverſa volans veſtigia nulla relinquis.
Noteſces tamen incolumi magis, eruta Turris,
Omnis & horrificos gens audiet ultima caſus,
Non hominum deleta manu, caeleſtibus impar.
Unde gravi labefacta dolet dominae utraque fato,
Fida diu tecum tot paſſa pericula belli,
Hinc atque hinc Turris ſuperans, ut Olympia Calpe,
Et ſocia immani, aeternoque adjuncta labori.
Quae, velut aetheris hae, pelagi ſenſere furorem.
Attulit at miſerum multo magis ampla ruina:
Nam glomerata virum ſumptis manus aſpera telis
Plurima, dum foedos defendunt tegmine nimbos,
Omnibus una rapax horam quae dixit eamdem,
Saeva repentino Proſerpina turbine lethi
Abſtulit; at mortis ſpecies non una virorum.
Pars colliſa gravi ſub mole, cadavere nullo
Occidit; ignis at haec vi rapta repente peruſta eſt.
Fumea vel nubes taeterrima, vel necat aeſtus,

Digitized by Google

Sulfuris aut horrendus odos afflixit ademptos;
Diſſilienſque fuit lapidum vis plurima letho;
Et pavor attonitos illaeſis artubus aufert.
Praecipitatur aquis multus; fuit altera jam lux,
Cum fruſtra quaeſita diu duo merſa ſub undis
Juncta gemunt ſociis vix agnita funera maeſtis;
Arx etenim media eſt circum ſtagnante palude;
Nam pariter ſubito quatefactus pectora caſu
Alter ut alterius carum caput auferat Orco,
Brachia complexus per mutua, victus uterque eſt,
Queis arcis tutela duobus tradita fidis;
Horrida quique ultro pulſarent hoſtia Ditis,
Deſererent commiſſa fide quam viribus ullis,
Heu male grata ſuis delapſa arx prodidit ipſa.
Aurea quin etiam ter Luna bicornibus exit
Menſtrua temporibus, claro ter ceſſit Olympo,
Et miſer obtectus ſuſpenſis molibus omnis
Non obiiſſe cavis defletur ſorte retectis.
Viribus alta ſuper flammarum tecta furentum
Projectum longinqua virum nova ſuſpicit uxor,
Contractumque rigore necis, flavamque peruſtum
Caeſariem, impubeſque genas, mirabile dictu;
Ut nec Amazonia eſt manibus delapſa ſecuris.
Ferreaque impreſſis ſtabant rude jactibus ora
Durateis in equis ſuffixa, hoſtilia contra
Agmina, parſque rotis labentibus, haec quoque tacta
Ignibus oppoſitos ſpargunt expreſſa repente.
At chorus omnis erat ſupplex de more ſacello
Flebilis ante aras, & te Salvere jubebat
O Regina, ſalus miſeris mortalibus una.
Per te vitalis (modulans ſic voce vocabat)
Lux datur, o jucunda voluptas, ſpes quoque, ſalve.
Exilio en partus matris damnatus iniquae
Clamat, io mater fidiſſima, pectore & imo
Suſpirans gemit, atque in fletus liquitur omnis;

Cocy-

Cocyti quibus exoritur fons. Eja age & iſta
In nos verte libens placido mitiſſima vultu
Lumina, certa tuae gentis tutela, fideſque,
Ac tandem miſerata diu tot caſibus actos
Eripe, & aeterni poſt tanta pericula lethi,
Poſt tenebras, jubar oſtende, praeque omnibus unus
Luceat aequaevus Patri puer, editus alvo
Virginis, optatos feſſis portuſque recludat.
Semper o ante ſacros, & poſt caſtiſſima partus,
Sola puerperio quae junior, aurea mundi
Sidera vecta ſuper, quam nunc comitantur ovantem
Caelicolae, & gaudens plaudit pia turba triumpho,
Lucina, & vere mater Junonia, felix
Sis diva, o mitiſque tuis ſanctiſſima Virgo.
Talibus aërias feriebant cantibus auras.
Sicut olorinis reſpondent vocibus amnes,
Sive Cayſtraei, ſeu flumina Maeandraea,
Cum vetus immoritur grex candidus, & ſua quaeque
Fata vocat vitae alterius praeſaga volucris.
Sunt nemora excelſis ubi ſemper amoena viretis,
Fontibus & reſonant muſcoſa fluentibus antra;
Tum levis aſpirans fecunda Favonius arva
Mulcet, & aethereos ſuavis diffundit odores;
Ac ſine nocte dies, laetus ſine nubibus aër
Formoſam ſpargit caeleſti nectare ſilvam.
Nec vocalis abeſt avium vaga turba per umbras
Lapſa, per & ramos diſtincta coloribus altos,
Queîs longe aſſurgit Medus, quas miſit & Indus,
Attica quaſque dedit, vel quae volat aurea lucos
Inter odoratos Arabum, nova gutture fundens
Carmina dulciſono, ſola, & longaeva volucris.
Haec Jove nata Venus loca poſſidet, altera curis
Quam quae ſollicitas hominum coquit improba mentes;

Caeleſtes Venus illa piis hic afflat amores,
Auguris ire Dei geſtit quo cantibus alet.
Teque manent meliora, vocat quem mater ab Orco
Rurſus, & ipſa ſuis pia prorogat oſſibus aevum.
Nec refert obeas Caeyx, vel Phthius Achilles,
Vel Samius, lavit quem Juppiter, unxit Apollo,
Speluncae vel te lapſus fatalis eodem
Momento, quo feſſus adis cava frigida, tollat.
Tantalus an plumoſa gemas per ſtrata volutus,
Confoſuſque dolore gravi, fervoribus uſtus,
Taedia ad extremum moriare domeſtica tabes,
Conſcia dum recti vita mens gaudeat acta.
Sed mala peſtiferum quae fulgur nunciat? etſi
Evulſum decus Arcis, tot miſerabilis etſi
Trans ſimul Alpinos caſus tulit, occubuiſſe
Quot Cremera atratis generoſo ſanguine lymphis
Vidit. Jane tuum crimen, qui talia ſuades.
Unde tibi numquam poſt illa Romulus audet
Credere fallaci; tuque o patefacta tuorum
Exitio, infamis ſcelere, & malefida, ſororum
Peſſima, commiſſos reddis quin impia cives?
Impia nequicquam lacrymis commota parentis.
Sed licet illa fuere, metus graviora minatur,
Et tremefacta pavet mens omnia. Juppiter urbem
Reſpice, multa tibi calet ara ubi divis olenti
Thure, frequens inopi poſtes ubi pandit Aſylum
Semper, Eleuſinae Cereriſque benignius aede;
Caſtaque ſupplicibus reſonant delubra puellis,
Non adeunda viris veluti ſacraria Divae.
Heu tamen immiſſos hoſtes, ſparſaſque cruenta
Caede vias, prohibete nefas, videoque tenebris
Conjectos trepidare fuga, flammaſque furentes,
Direptaſque domos, heu diri carceris umbras,
Et ſubeunda trucis (miſerum!) tormenta Procuſtis.
Membra levat miles vix caede fluentibus armis,

Le-

Lethifera & morbi vis effert funere laetos.
Quis perimet diras tot civibus impendentes?
Poſtulat his quaenam nunc februa Juppiter? ite,
Ite, piae, & ſacras verrentes crinibus aedes,
Et repente genu, precibuſque avertite tantas
Urbe minas, ſolet ira Deûm miteſcere, ſiquem
Poenitet admiſiſſe nefas, veniamque precatur.
Voſque Duces, vos o populos armare nefandas
Tot ſimul in caedes toties, miſereſcite tandem:
Jam ſatis effuſo natat omnis ſanguine Tellus,
Inque ſepulta jacent paſſim ſquallentibus arvis
Oſſa virûm, jacite arma, Duces, dextriſque cruore
Deterſis, certum unanimes conjungite foedus.
Tu, quem bellatrix decorat Regina volucrum,
Grata Jovi, aërias labens ſuper ardua nubes;
Et cui caeruleo floreſcunt Lilia campo
Aurea, per tenebras caeli velut aſtra ſereni:
Quod ſi nunc animus fremit arma, & tanta cupido eſt
Magnanimos inter Reges Decora Alta, triumphos
Ducere, & erectis ſpolia ampla ornare trophaeis;
Hoſtis acerbus adeſt, jam ſaecla impune ſuperbus,
Improbus, inſultans victis tot gentibus unus;
Jactat & ereptas urbes, & regna, premitque
Servitio; replent miſeris caelum unde querelis.
Ite pares animis: vos jam Byzantia pridem
Terra vocat; ſatis illa jugum crudele Tyranni
Suſtinet, & feſſis cervicibus ingemit: o Sol,
Ecquam colluſtrans maris oram deſpicis urbem,
Lucifer extollis, ſeu condis Noctifer Orbem,
Ingentes quae tot ferat aerumnoſa dolores?
Huc rapite arma, tegant omnes laeta agmina campos;
Albaque felici ſinuentur lintea vento;

Trans

Trans mare mille rates inimicas ſiſtite ad oras .
His coeptis favet ipſe Deus , mentemque , animumque
Excitat , invictaſque manus in praelia ſervat .
Fulſerit illa dies fortunatiſsima , quando
Prodigium gravibus vinctum furiale catenis
Dives opum , aurato ducet Victoria curru ;
Juſſus & objectas rapere offas Cerberus ore
Stabit hians rabido vinclis oneratus ahenis,
Ante epulas Scythici paſta eſt ceu Bellua Regis.
At ſi bella manent nos impia , jam venit ultro,
Auguror ; infelix circum malus errat ovile
Improbus ingluvie jampridem . Saeva Leonum
Ira quid , & vires valeant Fera ſentiat atra.

VII.

Araneola.

HAeret Araneolae laxis dum caſſibus errans
Muſca levis, conata fugam ſeſe magis ultro
Implicat , & quatiens alas ſtridore coruſcat :
Effugium dum quae ſcrutatur , labitur ecce
Illico Araneola , opperiens ſi praeda feriret
Reticulum , tenui quod ſtamine neverat ipſa ,
Sub Salice , & trepidam ſaevo rapit improba morſu.
Illa iterum fremitu reſonans , pedibuſque repugnans
Concutitur , ſed nulla datur fuga , forcipe namque
Preſſit atrox , urgetque tenax , perque omnia verſat;
At tandem magno luctamine victa puſillam
Exſpirans animam moritur miſerabilis ales .

Cal-

Callida ſed quam ſit caecas componere fraudes,
Omnibus inque locis innectere tenuia fila,
Eſt operae pretium cognoſcere: rixa puellae
Moeoniae vulgata diu eſt; quis Palladis ira,
Seu livore magis mutatam neſcit, amaret
Infelix dum ſe Caeleſtibus aequiparare?
Sive in amore ſoror fratris deprenſa Phalangis
Caſta Deae furtim templa inceſtavit Arachne.
Appula nunc etiam puer unde per oppida paſſim
Multipedem repit faciem contractus in atram;
Jamque vetus retinent metuenda Phalangia nomen,
Quéis tamen ipſa novum dedit urbs quoque priſca Tarenti.
Principio ignaros rerum ne occulta morentur,
Quicquid id eſt, per quod delabitur, aut ſpuit ore,
Aut denſo exterius glomeramine fila revolvit.
Quod ſimulac lucem ſuſpexit Araneus ipſum
Emittit, victumque ſibi molitur, & uſque
Nectit fila levi dejectus corpora ſaltu,
Itque, reditque citus, ſurſum modo repit, & altum
Jam tenet, hinc rurſus ſuſpenſus decidit, & jam
Mille viis aequo diſcrimine texuit orbem.
Tum malus inſidias ſub opacis frondibus abdit,
Ne ſi forte oculis volucrum leve cerneret agmen
Exitium, aufugeret tremefactum corda pavore:
Sic poſitis tandem laqueis, procul occuluit ſe,
Proſpectatque, plagis ſiquid novus incidit anceps.
Ecce feri Culices, Muſcaeque, atque id genus omne
Alituum, volat imprudens, & retibus ultro
Infertur, laxatque ſinus, atque omnia miſcet.
E ſpecula intentus raptim ſeſe jacit alta
Explorator, & implicitas has mordicus, atque has

Diri-

Diripit, ac circum lictor ligat, atque ita acervat
Omnia venatu aſſiduo, victumque reponit.
Sed ne forte leves volucres, infirmaque tantum
Hunc captare putes, triſtem ſubtemina Aſilum
Denſa tenent, ſaevitque furens detentus; at illum
Ingluvie accurrens Venator conficit atra.
Quid referam Fucos, & quidquid virus amara
Geſtat acu? quoties captum fremit, ac velut ipſos
Damnatos factae ſuſpendit Aranea caedis,
Spectaturque diu paſſim, ſpolia ampla, cadaver;
Voce minans quamvis immane ſuperbiat armis,
Quodque venenatis fert telis, vulnus inurat.
Quin tantis etiam ſtimulis furit ictus edendi,
Involet apricos ut in ipſos ſaepe Lacertos,
Frenet & incaſſum torquentes terga, nec ullis
Saltibus excuſſus, caecis premat undique vinclis;
Nec mora ſit, raptet quin ſubterraneus illos,
Cacus ut averſos retrahebat in antra juvencos.

VIII.

Cicindela.

Tantula nocte volans volucris micat aëre tantum,
Ardenti ſimilis ſcintillae, quam puer olim
Aequales inter metuebam tangere, ne me
Ureret, infirma eſt aetas cum neſcia rerum:
Quae quoniam noctu lucet, cognomen adepta eſt;
Aut incenſa nitet quoniam, velut ignea lampas,
Cauda ſit una licet, nomen non eſt tamen unum.
Haec modo ſumma petens commotis emicat alis;

Rur-

Digitized by Google

Rurſus & adductis fulvum decus aurea condit;
Ardentique procul fugiens levis igne coruſcat,
Et quocumque volat, ſecum ſua lumina geſtat,
Lumina, quae tenebras arcent, quae flamina temnunt.
Nunc, velut obſequioſa videntibus, advolat, atque
Fit magis, atque propinqua magis ſcintillat & ante
Ora, minuta velut candentis fruſtula ferri,
Verbere quae aſsiduo fornacibus excutiuntur.
Ex quo rapta Jovi Stygio Proſerpina, namque
Una fuit comitum: veterem mutata figuram
Quaerit adhuc dominae veſtigia, & omnia luſtrat.
Omniparens Natura, hominum, rerumque creatrix,
Difficilis, Facilis, Similis tibi, Diſsimiliſque,
Nulligena, Indefeſſa Ferax, te pulchrior ipſa,
Solaque quae tecum certas, te & victa revincis;
Omnia me nimis afficiunt, quo lumina cumque
Verto libens, nihil eſt non mirum, Daedala quod tu
Effingis, rebuſque animam ſimul omnibus afflas,
Unde vigent, quaecumque videntur pabula, frondes,
Et genus aligerum, pecudeſque, & ſquamea turba.

Or-

IX.

Orpheus.

Arguta primum cum plectra parentis, & auro
Diſtinctam ſumſit citharam Rhodopeïus heros;
Ridebant ſegnes pulſus, digitoſque micantes
Serius, & chordis indoctae diſſona vocis.
Mox pudor exardens, & gloria dulcis honeſti
Luſibus avertit puerilibus, omnis & illuc
Perditus incumbens Muſae pallebat amore.
Et nunc maternis inhiat, nunc ille paternis
Cantibus: hinc illinc diſcens dependet utrinque.
Nulla Venus faciem cepit mentita doloſis
Compedibus; ſomni fuerat, parcuſque Lyaei:
Donec, ridiculus dudum, modulamine ſilvas,
Evulſoſque ſuis ſcopulos radicibus egit:
Auſus & ire viam mortalibus inconceſſam,
Poenarum oblitos demulſit carmine Manes.
Non levis adſcenſus, ſi quis petit ardua; ſudor
Plurimus hunc tollit; nocturno exſomnis olivo
Immoritur; delet, quod mox laudaverat in ſe,
Qui cupit aeternae donari frondis honore.

METAPHRASIS GRAECA
MATTHIAE BERGII
Brunswicenſis.

ΟΡφέα φασὶ τὸ πρῶτον ἐπεὶ φόρμιγγα λιγεῖαν
Ματρὸς ἑῆς ἔκρουσε προσᾳδῶν μυχάδι φωνῇ,
Πουλὺν τοῖς ἀΐουσι γέλων χλεύας τε ἐπόρσαι
Τοῦ μέλεος τῷ ἀμούσῳ, ἐπεὶ νωθροῖσί τε νεῦρα
Κρούσμασιν ἀμφαφάασκε, καὶ οὐδὲν ἐοικότ' ἐπᾷδε.
Αἶψα δ' ὁμῶς αὐδοῖ τε τυπεὶς καὶ ἱμέρῳ ᾠδῆς
Χαίρειν πόλλ' ἐκέλευσε τὰ παιδικά, καὶ φρέν' ἔτρεψε
Παντῆμαρ πρὸς μοῦσαν ὅσον σθένος: οὐχ ὅγε μητρὸς,
Οὔτε πατρὸς μεθιεὶς ὅτ' ἀοιδιάοντας ἑώρα.
Οὐδὲ μιν ἁ δολόεσσα πόθῳ δαλήσατε Κύπρις,
Οὐδὲ πέδαις σφιγχθέντ' ἀπὸ δέσμιον ἀλλαχόσ' ἦγε,
Οὐχ ὁ διδοὺς βαθὺν ὕπνον ὀπωπαῖς, οὐχ ὅγε νηδὺν
Πολλὰ χαριζόμενος, μογέεσκε δὲ μοῦνον ἐπ' ᾠδῇ
Καὶ τόθ' ὁ πρῶτα γελοῖος, ὁ μηδὲν ἀραρότα φθέγξας;
Θεσπεσίᾳ ἐνοπῇ καὶ ἀπειρέας οὔρεσι πέτρας,
Ψηγοὺς τ' ἀγριάδας ἀκτῆς ἐπὶ τηλεθόωντας,
Οὐκ ἔτι μαινομένους τε ἀπήγαγε θῆρας ἀγρώτας.
Τοῖς δ' ἔπι καὶ ζαοῖσ' ἄσειπτον ἔβαινε κέλευθον
Ταίναρον ἡνίκ' ἔβη, σκοτίην ὁδὸν, ἀΐδος εἴσω
Μειλιχίῃ πυσινὸς κιθαρῇ, δι' ἔρωτ' ἀλόχοιο.
Ἐνδ' ἄρα καὶ χθονίων τὸν ἀπειθέα χῶρον ἔπεισε.
Πρὸς τὰ μέγισ' ἐπίπαν οὐ ῥαδία ἐς ἐπιβάθρα:
Ἱδρὼς καὶ πόνος εὐρὺς ἐκεῖσ' ἀποπέμπετε ἄνδρα
Ὃς καὶ ἀκοιμήτοισι κεκασμένος ὀφθαλμοῖσι
Ἐγκεκυφὼς τε βίβλοισι, λύχνου τε κ' ἐλαίου ὄδωδως
Τωθάζει θαμὰ τοῦτ' ἐν ἑαυτῷ ὅπερ πρὶν ἐπήνει.
Ταῦτά γε πολεμέως ἔρδων κλέος ἄρνυτε ἐσθλόν.

Arundo.

X.

Arundo.

Fluminis undiſonas ripas praetexit Arundo,
Atque erecta comis pariter conſurgit acutis,
Queis gelida feſſos aeſtu refrigerat umbra.
Plurimus hac uſus, teneras ſeu jungere vites,
Seu libet agreſtes calathos, & vilia tecta
Conſtruere, pluvias arcere, & idonea ſoles;
Seu magis incautos piſces captare doloſos
Artibus, hamus aquis illudens pendet aduncus.
Armat eam ferro raptimque per aëra torquet
Gnoſſius altivolas figens ſub nube volucres,
Vel fera mentivagis erroribus acta, vel hoſtis
Saucius injecto cadit eminus, ilia telo
Cum brevibus compulſa noto volat ocius alis.
Quin etiam dentata levis manus aequora eadem
Acteis, Latiiſque notat ſtudioſa figuris,
Pingit & horrendas acies, laudeſque Deorum,
Legibus emendat mores, juvat, increpat, ardet
Extinguitque faces collectas pectore, & iras,
Senſibus, & ſecreta ſagacibus omnia rerum
Eruit, immenſum pelagus metitur, & auras.
Dulcius haec reſonat longeque ſonantius, atque
Immortale magis, quam quae paſtoris in ore
Mille foraminibus garrit pulſata canentis;
Unde vagae pecudes perſultant gramina laetae,
Semiferumque genus Satyri, Faunuſque bicornis
Arguta primus modulatus arundine muſam.
Dicitur & qua Sol admotos inficit Indos
Singula fluminibus nare internodia remis,
Quae ſubigit notis vergens vagus incola ripis:
Namque

Namque virent illic Libycis majora columnis.
Quid referam gratos ſuccos? rimoſa fatiſcit,
Succinaque hinc illinc dependent dulcia circum;
Concreti erumpunt lacrymoſo cortice rores:
Hinc coquitur, glacieque riget nova pyramis, ipſa
Vel nive candidior, vel nectare dulcior ipſo.

XI.

Nenia de obitu Patris.

Solvimus ante diem merito dum juſta parenti,
Nec potis eſt vis ulla novos lenire dolores;
Pallida, ſciſſa comas, triſtique evincta cupreſſu,
Dic age, dic maeſtos mecum, mea Nenia, cantus.
Improviſa virum frangunt praecordia: laetus
Ibam feſta Deûm venerans, cum nuntius aures
Perculit; ante fores ſubito pes deficit aeger,
Labentemque manus juvenum miſerata repente
Excipit, ora fovens gelidis pallentia lymphis,
Hoſpitis inque domum referunt mea membra Lycotae.
Dic age, dic maeſtos mecum, mea Nenia, cantus.
Huc ubi perventum eſt, lacrymis ſine more profuſis,
Immundoque comas foedatus pulvere, mecum
Immatura mei lugebam fata parentis.
Conveniunt ſocii, quos inter candidus Idas
Sic ultro affatur dictis: quid feſſa, Thyleſi,
Infelix multo tabeſcunt lumina fletu?
Navita num Stygius placabitur? ille ſilentes
Ut ſemel inferna vexit rate triſtior umbras,
Nequicquam precibus lenitur, victima non ſi
Plurima Perſephone caderet prope littus Averni,
Unde ferunt trepidos revocari ſanguine Manes.

Dic age, dic maeſtos mecum, mea Nenia, cantus.
Gallus adeſt Meſſala ardenti pulcher in oſtro,
Inſcius; utque videt luctus inſignia tanti,
Obſtupuit, tenuitque gradum; mox ora reſolvens:
Ecquis, ait, tantus dolor occupat? unde repente
Tam gravis oppreſſit moles? ſic fatus obortis
Lumina deterſit lacrymis, nec ſit mora, cultus
Puniceos etiam ferrugine mutat Ibera.
Dic age, dic maeſtos mecum, mea Nenia, cantus.
Atra dies, atris ſemper ſignanda lapillis!
Redditur ecce mihi paucis poſt nota diebus
Littera, quae certum vulnus ſimul edocet, utque
Maereat orba domus, miſerum me! lumine adempto;
Inferiaſque refert, & pompam funeris atri.
Dic age, dic maeſtos mecum, mea Nenia, cantus.
Maeſta ſoror tumulo poſtquam redit, acta furore,
Impatienſque animi, ſciſſiſque horrenda capillis,
Infelix levi nectebat vincula collo,
Erigonen imitata, ſui quae funera patris
Nacta, diem zona clauſit miſerabilis ultro,
Pallidaque aëria pinu demiſſa pependit.
Dic age, dic maeſtos mecum, mea Nenia, cantus.
Accurrit genitrix, ſubitoque exterrita viſu:
Tune mei, clamat, gemini tu cauſa doloris
Nata eris? infernas ſine me prius ire ſub umbras
Speraſti? quae tanta animum dementia adegit?
Ut miſera ante diem prima morerere juventa,
Non experta virum, non dulcia pignora, natos.
Me vero ante alias, vixi ſatis ipſa ſuperque,
Me decet. Alceſti licuit ſubiiſſe puellae
Fata viri, quis me confectam denegat aevo,
Quis Deus, unanimis comitari conjugis umbram?
Dic age, dic maeſtos mecum, mea Nenia, cantus.
Ergo ego te numquam poſthac, pater optime, numquam

Aſpi-

Aſpiciam? numquam tua verba audire licebit?
O dolor! incaſſum reditus fingebat inanes
Neſcia mens. Adero, quiſquam nec nuncius ante
Praeveniat, videarque Deûm demiſſus ab arce;
Amplexuſque patris cari jucunda lacertis
Colla, vias referam, populos, duroſque labores.
Haec ego volvebam, celeres quae vota procellae
Per mare nunc jactant, & per ſcopulos praeruptos.
Dic age, dic maeſtos mecum, mea Nenia, cantus.
Ferte ſimul, Nymphae, Cyrrhae quas integit umbra,
Aoniae Nymphae, ſolemnia dona ſepulcro.
Non molles deſint violae, non alba liguſtra
Miſta roſis, ſedeant ut molliter oſſa Thyleſi;
Annuaque ad tumulum certatim carmina, Divae,
Fundite, ut extincti ſemper ſit fama ſuperſtes.
Ipſe ego nigrantem pecudem, mea vota, quotannis
Conſtituam, niveique feram cava cymbia lactis,
Vinaque qua flavus rapido fluit agmine Crathis,
Nobilis & pingues ſpectat Conſentia campos.
Deſine, jam ſatis eſt, maeſtos, mea Nenia, cantus.
Elyſia feſſus, genitor, requieſce ſub umbra,
Ver ubi perpetuum floret, Zephyrique ſalubres
Jucundis ſpirant animis, ubi concava lymphis
Saxa ſonant, luciſque volat genus omne volucrum.
Jamque vale, & noſtri ſupereſt ſiquid tamen ultra,
Ultra fatorum leges, cinereſque ſepultos,
Sis memor, & canae venient cum fata ſenectae,
Erranti longe procedas obvius umbrae.
Deſine, jam ſatis eſt, maeſtos, mea Nenia, cantus.

† XII.

Conqueritur amica de Lydii adoleſcentis diſceſſu.

Dum nova tempeſtas Caeli furit, atraque magno
Nubila miſcentur ſonitu, terraeque teguntur
Imbribus, & plenis exundant flumina ripis;
Deſerit invitam me Lydius, & parat ultro
Ire procul: terrent nec tanta pericula rerum.
Heu, heu quid praeter ſolitum praeſaga minatur
Mens mihi! vana precor ſint omina; ſed tamen unde
Sponte rigant vultum lacrymae? quatit anxius unde
Me pavor? an miſeros ſemper metus urget amantes?
Sic precor, incaſſum timeam, perque omnia tutus
Semper eas, quamvis rapidus te nunc ferit imber,
Te impulſae ventis pluviae, te flumina quamvis
Praecipitata jugis, & biulca tonitrua mentem
Terrificant; ſed laetus eas: non Numina laedunt
Ulla pios, fidae ſerves modo foedera amanti;
Et redeas, nec te matris pia cura moretur.
O jocunda dies, reddet quae te mihi tandem,
O quos complexus! quae gaudia! Lucifer almum
Quid ceſſas proferre diem? tibi lecta paratur
Victima, quae tantum reliquas ſupereminet omnes,
Sidera tu quantum ſuperas ardentia, quantum
Lydius aequales forma micat inter ephebos.

Phar-

† XIII.

Pharmaceutria de eodem Lydio.

Pollicitus fuerat, Superis in verba vocatis,
Rure moras triduo producere Lydius; & jam
Menſis adeſt, ex quo miſeram ſpe ludit amantem,
Tamquam vana fides, tamquam perjuria temnat.
Quemnam ego quem Superum nunc conquerar? aurea Phoebe,
Laberis aethereo quae nunc Dea vertice, & atras
Purpureo procul ore fugas, Lucina, tenebras,
Accipe quae moriens primo nunc alloquor aevo,
Accipe; nam teſtis fueras, cum perfidus ultro
Nocte domum veniens: quid fles, mea, dixit, opacae
Per tibi nunc juro taciturna ſilentia Noctis,
Me ſine te invitum diſcedere; ſed tamen ante
Tertia quam Caelo lucebit Luna ſereno,
Affore me laetum cernes; ſic fatus amantem
Semianimem linquens (animae pars altera namque
Ille fuit) noſtris oculis non redditus uſquam eſt.
Quare, Diva, preces nunc accipe; nam tibi quondam
Notus amor, cum tu Caelo delapſa per umbras
Mortalem ſomno fallebas, anxia ne te
Effugeret, ſi forte tuos ſenſiſſet amores;
Quamvis ore Deas vincis, Dea, lucida quamvis
Nocte micas inter ſuperi vaga ſidera Mundi.
Ergo age, namque tibi jamdudum lecta parata eſt
Victima, jamdudum rapidis calet ignibus ara,
Siſte precor, dum pauca queror; num fallimur? an tu

Exorata Dea es, Caeloque affixa moraris?
Sic certe nunc tempus adeſt, nunc verba profari,
Funde, puer, quid ſtas? cava cymbia; ſic malus ille
Mente fluat, ſacri laticis velut effluit humor:
Siſte leves, dum ſacra cano, Latonia, bigas.
Ignis ut abſumto decreſcit fomite, ut ater
Fumus abit, velut umbra levis, nebulaeque paluſtres;
Deficiat ſic ſaevus amor, nec cura ſuperſit.
Siſte leves, dum ſacra cano, Latonia, bigas.
Ut nihil his ſacris fas eſt me vinciat, utque
Vincula nulla pedes nectunt; ſic capta repente,
Libera eam, & dura ſolvam me compede vinctam.
Siſte leves, dum ſacra cano, Latonia, bigas.
Diffugiunt tenebrae, cum Diva natantia linquens
Aequora, colluſtrat radiis mare, nubila, terras;
Sic animus, demta caligine, luce fruatur:
Siſte leves, dum ſacra cano, Latonia, bigas.
Ecce modo e Caelo delapſa repente cucurrit
Stella, nec eſt umquam poſthac conſpecta; recedat
Sic amor & tenues ſubito vaneſcat in auras.
Siſte leves, dum ſacra cano, Latonia, bigas.
Aſpice, ſparſa furens ut nubila diſſipat Eurus,
Dum loquor; haud ſecus incenſo quas corde querelas
Fundimus, inſani verrant per inania venti.
Siſte leves, dum ſacra cano, Latonia, bigas.
Cerea jam flammis admota liqueſcit imago
Ore meum referens, ſimilis coma, lumina, vultus;
Intima ſic pereat qui nunc calor oſſa perurit.
Siſte leves, dum ſacra cano... Sed cur, Dea, nimbo
Praetendis ſubito vultum? quo nunc fugis & me
Deſeris? heu nihil eſt, curas quod lenit! & aurae
Verba ferunt: nil ſacra Deûm, nil carmina proſunt.

De

† XIV.

De Iulo adoleſcente.

IMminet obſeſſis patriae dum moenibus hoſtis,
Nec ſpes ulla fugae, vili quid tectus amictu,
Impexuſque comas, faciemque illotus, Iüle,
Diſcedens inimica paras nunc fallere caſtra?
Scilicet agreſtri tunica velatus honorem
Diſſimulare putas formae; licet iſta ſit uſque
Neglecta, egregio prodit te ſanguine cretum.
Arguit inceſſus, & ſuavis ſpiritus oris
Non te rure ſatum, fluvios nec propter opacos
Lanigeros paviſſe greges, ſed Regis in aula
Divitis adſuetum nitidam duxiſſe juventam.
Quis decus ingenii linguam, ſi forte loquendum
Sit tibi, non nimium mirabitur? unde Deorum
Venit inaudito juvenis ſermone decorus?
Quin, mihi ſi quicquam credis, nunc indue veſtem
Sepoſitam, nunc pecte comas, nunc fontibus ora
Perlue: per medios hoſtes ſic tutior ibis.
Nemo adeo ferus eſt, qui te modo viderit, ultro
Non veniat, victorque velit ſe dedere victo.
Regius obſeſſa pubeſcens Troilus urbe
Egreſſus quoties fuerat, non ulla timebat
Tela puer; cuncti aſtabant, ſtupor omnibus idem
Candida dum vehitur crinem per colla ſolutus:
Quem poſtquam dura depreſſit caſſide, & ora
Velavit, primo miſerabilis occidit aevo,
Et patriae campos foedavit caede recenti.

† XV.

Malum punicum.

ARboreos inter foetus Rex inclyte, quondam
Punica victores donat quo terra Quirites,
Unde etiam nomen ſervas; ſitis arida per te
Lenitur, dum vina negat Podalirius aegro,
Nec ſinit innatos reſtinguere faucibus ignes.
Te tantum innocuum permittens, cetera ſaevus.
Ergo plena rubet pomis mihi menſa, videre
Quam juvat, inſigne eſt regis viden omnibus? illud
Sed nativa tamen fucat nova purpura, at illi
Pallor ineſt viridis, tegit hoc, hoc prodit honorem
Sponte ſuam rumpens tunicam, diductaque gemmas
Conſtructas pariter cupit oſtentare cruentas,
Quas mihi purgatas affert cratere miniſter.
Hoc multo eſt nectar mihi nectare dulcius Hyblae.
Nil mirum, ſimul ac guſtavit talia, matrem
Filia ſi ſprevit, lucemque exoſa tenebras
Maluit, & Phlegethonta vadis ferventibus amnem.

† XVI.

Floſculus.

PArvus hiat parvo non diſſimilis calathiſco
Flos niveus, virideſque recens internitet herbas,
Quo nihil eſt quicquam viſu jucundius uſquam.

Aſpice

Aſpice quam tenui filo ſuſpenſa moventur
Semina, quae penitus ſimul inſita, ſciſſa ſub auras
Aequali ſenſim conſurgunt intervallo;
Undique & anguſtus foliorum circulus ambit,
Singula quae paribuſque notis, minioque videntur
Intus picta levi, roſeiſque coloribus ardent,
Hinc, atque hinc variis perplexa meatibus errant:
Ceu labyrintheis dixerunt flexibus eſſe
Mille vias, fixum me detinet, haud potis & ſum
Expleri, aut uſquam diſcedere, lumen eodem
Haeret, & huc illuc rapitur, diverſaque luſtrat,
Attonitumque ſuper miratur: Floſculus ut ſe
Deflectit, feſſuſque caput procumbit in herba;
Candida ceu quondam virgo cum lapſa per aeſtum
Propter aquam frondes inter requieſcit opacas:
Spiritus interea ſuavi permulcet odore.
Pronus humi dum me oblecto admotus, & uſque
Inſpecto, paſcit viſus, ſimul efflat olentem
Tempore eodem auram: ſit quanta potentia matris
Naturae, hinc parvo perdiſcas munere, nec te
Reddant, quae vulgus temere miratur, hiantem.

† XVII.

De Anima.

ELapſus poſtquam fuerit de corpore quonam
Spiritus hinc volitans fugiet, qui me movet uſque
Quicquid ago, multum Meſſala diuque putavi.
An ſimul exierit ceu flamma, repente ſileſcet
Extinctus glacie mortis, cum membra rigeſcunt,
Inſitus atque calor dilabitur artubus omnis;
An levis aërias ſubito dilatus in auras,

Um-

Umbra velut, nebulaeque leves, fumuſque peribit;
Et nunc qui mecum loquitur, meminiſſe videtur
Omnia, qui numquam me deſerit, heu dolor ingens!
Nullus erit, fas hoc non credere, dicere nec fas.
Immo ego ſive loquor certiſſima, ſive refelli
Haec poſſunt, nimium juvat haec me credere, in aſtra
Ignea labetur poſt fata noviſſima vitae,
Sidereoſque globos inter, quos ſuſpicit uſque
Devinctus, vivet, nulloque movebitur aevo;
Deſpicietque hominum curas, & inania vulgi.
Ter quater o felix, nimiumque beatus, adire
Cui liceat: non omnis adit, ſed crimine ab omni
Caſtus, & a caede, ſcelere, atque libidine, & ira.
Mortales Furiae taedis quem ardentibus urunt,
Inquinat his qui ſe, loca taetra miſerrimus uſque
Incolit, & vita ſimulac levis umbra receſſit,
Non ſeges eſt ubi laeta, virent nec prata, nec humor
Dulcis aquae ſalit e ſcabro nitidiſſimus antro;
Sed dolor, & luctus, rabieſque immiſta furore,
Livor, & ultrices poſuerunt caſtra querelae.

† XVIII.

Teſtudo caeleſtis.

SUſpenſus nitet ingenti teſtudine Mundus
Undique continuo complexu cuncta coërcens,
Et nullo, mirum! tibicine tanta quieſcunt
Pondera. Quas vectes! quae caela immania, quave

Au-

Auctor opus tantum concepit mente! quis auſus
Metiri, & longo ſic circuit intervallo,
Tornavitque polos celeri vertigine adactos,
Quos inter crebris collucent ſidera flammis
Tam procul, & nullo vis interit ignea ſeclo,
Nec cadit in praeceps umquam, ſit maxima quamvis;
Nutibus at librata ſuis ſe ſuſtinet ultro.
Purius hac nihil eſt, nec quod ſublimia tantum
Appetat, aut tantum terris ſecedat ab imis.
Creditur his etiam ſupremo lucis in ortu
Quod ſequimur, fugimuſque dari, venit inde laboris,
Inde quietis amor, ſtudiis nec ducitur iſdem
Gens hominum; fremit hic atrox crudelia bella,
Aut mare per tumidum geſtit ſe credere ventis;
Frondoſas colit hic ſilvas ignobilis uſque,
Quamque puer terram novit, grandaevus eamdem.
Haec quoque deſpectant teſtes ſeu recta ſequamur,
Devius aut ſignis virtutis limite aberret,
Occultum nihil eſt Superis, immune nec hilum
Sive boni quicquam fiet, te praemia recti
Magna manent; contra ſeu quid tu turpiter audes,
Sera licet, ſtat magna tamen, nec poena recedit.
Pervigilant, numquam flectunt ſua lumina ſomno,
Deſuper explorant, noſtris licet omnia Phoebus
Eripiat rediens oculis, ſoluſque diurna
Lampade colluſtret caelum, mare, nubila, terras;
Unus pro cunctis fulget, fluit inde quod uſquam eſt
Luminis, inde calor manat, pater omnibus idem eſt,
Omnibus idem animas afflat, quaecumque moventur,
Seu ſuſpenſa levi fugiunt per inania lapſu,

Squam-

Squammea ſeu penetrant fluctus errantque per aequor
Immenſum, vel qua ſolidus ſe colligit Orbis.
Noctifuge, aurato qui laberis aethera curru,
Luciparens, frugumque potens, per te omnia primum
Exoriuntur, aliſque idem quodcumque videtur,
Sive hominum, pecudumque genus, ſeu turba volucrum,
Pabulaque, & ramis denſe frondentibus arbor:
Salve magna Jovis proles, caeli decus ingens
Cuncta videns, quae ſunt, quae mox ventura trahuntur,
Quodque fuit, Reges inſignes, oppida, & arces,
Bellaque, & ingentes ſtrages, partoſque triumphos.

† XIX.

Uranos.

DIſcedit noſtro Phoebus velut aethere, & almam
Eripiens lucem miſeris mortalibus, affert
Triſtitiam, noctiſque premit caligine terras;
Sic tua dum nobis rapis ora optata, Trivulti,
Et cupis Etruſcoſque lares, & ſiqua ſuperſunt,
Viſere magnanimûm quondam monumenta Quiritûm,
Deſeris in tenebris, atque anxia pectora turbas.
Sed licet exanimem linquas, licet undique mentis
Deſtituar, tantum pavor & mihi cura ſuperſit;
I tamen, ire libet quoniam: ſint omnia laeta.
Non pluviae laedant, denſi non nubila Caeli,
Non fera tempeſtas, ſaevi non impetus Euri,
Sed levis aſpiret zephyrus, ſed lucidus aër

*Semper, opaca vetent rapidumque umbracula Solem
Frondibus hinc, illinc ultro praebentibus umbram.
Ne calor exurat faciem, dum fervidus Aethon
Incumbit terris, rurſus, mea fiſtula, carmen
Dic age, dic felix mea fiſtula, dic age carmen.
Impediant non te ſalebroſaque ſaxa, madenſque
Semita, dum multo tellus diffunditur imbre.
Non levis impulſu ventorum pulvis in ora
Spargatur, ſurgant flores, & mollia paſſim
Gramina, ferre juvat qua te veſtigia cumque.
Dic age, dic felix mea fiſtula, dic age carmen.
Flumina, quae ſummis dejecta ex rupibus ultro
Aequoreas celeri lapſu properatis in undas,
Accipite haec, tentat vada dum tranſmittere forti
Vectus equo, ratibus ſeu textis; ſiſtite fluctus.
Ne grave murmur aquae violentius obſtrepat aures,
Leniter ac facili vectetur laetus in alveo,
Gaudebunt nymphae virideſque e gurgite crines
Extollent: quae forma micat tam pulcra per undas?
Quis Deus? accipient vitreis te ſedibus omnes,
Flumineaque comas velabit arundine Nais
Munera grata ferens, violas, & lilia, calthas,
Quaeque nitent paſſim riguis nova germina ripis.
Dic age, dic felix mea fiſtula, dic age carmen.
Leucippe acer equos inter, quo non fuit umquam
Sanctior in terris quiſquam, nec pulcrior umquam
Impoſitum vectas, qualem non Pegaſus olim
Excitus alato vexit ſuper aethera dorſo.
Nullum omen verbis, excuſſus decidit ille,
Tu fidus rerum columen mihi redde mearum,
Ne mea perpetuo laceres praecordia luctu.
Dic age, dic felix mea fiſtula, dic age carmen.
Quod ſi forte voles vaſtum maris ire per aequor,*

Mo-

Molliter impellat fluctus levis aura favonj,
Caeruleiſque Pater vectus ſuper alta quadrigis
Sit comes, optatoſque ſinat te tangere portus.
Quamvis te invitus linquet Deus, & tibi currus
Cedet, ut Oceani regimenque & ſola poteſtas
Sit tua, ſint quae te venerentur Numina ponti.
Fruſtra, nam mavis prima dominarier aula,
Muſarumque choros, & amoena vireta, piumque
Concelebrare nemus, quod te ſuper ardua caeli
Extollit, nomenque tuum diffundit Eois
Partibus, & qua Sol fluvio ſe condit Ibero.
Dic age, dic rurſus mea fiſtula, dic age carmen.
Ergo iter optatum perages, & Romula viſes
Moenia: convenient juvenes, ſtupor omnibus idem,
Idem amor, & cuncti aſſurgent, domus inclyta, non quod
Sit tua, quae magnis fulget decorata triumphis;
Pinguia quodque colant non jugera mille juvenci,
Sint haec magna licet: ſed quod defenſor honeſti
Diceris, & verae ſemper virtutis Amator.
Aſpicies illic ſeptem quae collibus urbem
Tollitur, & veterum fuerant quae maxima rerum,
Nunc tantum molis ſuperant veſtigia tantae,
Famaque, quae ſemper vivax non interit umquam.
Dic age, dic felix mea fiſtula, dic age carmen.
Protinus & laetas ſedes, ſic mens tua geſtit
Parthenopes, & culta vagus pomaria cernes,
Fluminaque, & fontes gelidos, vineta, lacuſque,
Et nitidam inſueti ſpeciem mirabere Caeli.
Illic ne blandae capiant te forte puellae
Iis memor, occurrunt ultro, variiſque morantur
Vocibus, & cupidos miſere praedantur amantes.
Sed bene quod Siren noto tumulata ſepulchro eſt,
Parthenope Siren facie quae inſignis ad undam
Aſſiduo reſonans fallebat carmine nautas:
Viveret illa dolis inſtructa atque artibus, ut te

Eriperet, quid non faceret? Sit mortua quamvis,
Non tamen extinctum genus eſt, fuge remige ſurdo,
Inque ſinum patriae redeas, notoſque penates.
Hic ubi me primum es verbis affatus amicis,
Quae mihi cumque dedit ſors, accipe ſit tibi mecum
Pars quoque, ſitque tuis requies hic parta Camoenis.
Ex illo ſemper mens ſaucia, ſe tibi prorſus
Addixit; caeli liceat dum veſcier aura.

† XX.

Campe.

ASpice ut aureolus virides intermicat herbas,
Virgatiſque nitet maculis, inſignis & oſtro,
Pulchra velut variis diſtincta coloribus Iris:
Nam perſaepe licet magnis componere parva.
Caulibus hic patulis repit modo tortilis, & ſe
Colligit in ſpiram tenuem, mox ſaltibus ultro
Exſiluit, ſeſeque levis per inania vibrat;
Rurſus & in teneris reſupinus paſcitur herbis,
Quas ſimulac carpſit morſu jam grandior, atque
Multiforas roſit frondes, affixus inhaeret,
Decutere unde queunt pluviae, nec flamina venti,
Et tenui formans orſum ſe involvit amictu.
Tempore nec longo cum jam mirabile viſu,
Cornibus exiguis prorupta veſte volucris
Argutum caput aethereas oſtendit in auras,
Diſſimilique alas incenſa nitore coruſcat,
Caerula namque viret pars haec, pars lutea, parſque
Illita purpureiſque notis, minioque refulget,

Edita-

Editaque in lucem primum male firma, nec alis
Freta ſuis, ſtat mollis adhuc, & fixa moratur;
Mox durata die, ſurſumque elata reviſit,
Unde viget quodcumque movetur, lumina Solis.

† XXI.

Dryas.

Parce, lates viridi quiſquis ſub cortice, prudens
Non ego te laeſi, lacrymas compeſce fluentes,
Sive Dryas, ſeu quis Deus inſitus arbore ſacra es.
Omnia namque regunt Superi, cava flumina, montes,
Pabulaque, & truncos innixos ſtirpibus altis.
Ipſe mea errabam dum mente remotus in umbra,
Cuſpide, quam mecum geſtabam, te mea fixit
Impia, lapſa tamen caſu manus impia, quamvis
Vulnus & elicuit lacrymantes cortice guttas;
Forſitan & tecum quereris crudelia paſſus,
Ingemis, & maeſtas voces attollis in auras:
Sed non eſt homini fas verba audire Deorum:
Noſtra igitur queſtus penitus non accipit auris;
Teque nemus miſeratur amicum, te quoque mollis
Herba, tuis quae ſe ramis defendit ab aeſtu;
Parce tamen, ſceleris licet inſcius, ultro ego nunc me
Damno libens, nec tu ſaevas memor exige poenas.
Nam ſatis eſt Divis animus peccaſſe fatentis.
Negligit at ſiquis Superum contemtor, & audet
Contra ſtare Deos; hunc Thracis dira Lycurgi
Supplicia exſpectant: proprio quae vulnere aberrans
Concidit, atque iras placavit ſanguine Divûm.

Micro-

† XXII.

Microcoſmos.

SUſpicit erectus mundum qui ex omnibus unus
Gnarus Homo rerum cunctarum, pluribus illi
Eſt ſimilis: flagrat penitus, velut igneus ardor,
Accipit, inque vicem vitalia flamina reddit;
Perfluit hac illac membris quoque plurimus humor
Corporis, & ſolidum reddit pars maxima terra,
Cujus ceu venis hinc atque hinc labitur unda,
Sanguinis aſſidue fluxu rigat intima paſſim.
Inde vides ferri torrentes nubibus auctos,
Non minus obſcoenos hinc lectos conſpicis imbres;
Oſſaque non lapides referunt, non ſtirpibus haerent
Plurima? non foedus ſerpens latet uſque cavernis?
Atra cavo ſcopuli velut impia vipera ſaxo,
Peſtifer horrenduſque paludibus halitus exit;
Proluvies ſic ventris item foediſſima putet.
Nonne aliquae ſudore madent, ut corpora terrae?
Nonne loca, eructans Siculis velut Aetna caminis?
Triſtatur caeli facies, mox imbre redundant
Omnia; ſic miſeris mortalibus ora moventur:
Nubila frons pluviaſque ſuas demittit obortas,
Miſcetur raucum ſimul & per viſcera murmur;
Quid ſequitur Zeno referat liberrimus, at nos
Ingenuus fugat inde pudor; ſic flamina nubes
Convolvunt magno luctamine, rumpitur ingens
Mox fragor, horriſonoque fremit quoque terra tumultu;

Cujus ut obſtructo ſpiramine vis fera venti
Viſceribus praecluſa furit prorumpere in auras
Nequicquam, quatitur radicitus inſula fundo:
Scilicet huic ſimilis conceptus ſpiritus artus
Commovet, & talos a vertice quaſſat ad imos.
Ad ſummam, ſecter ne ſingula, plura referri
Namque queunt, preſſit cum nos incurva ſenectus,
Ceu vetus, & ramis, foliiſque arentibus arbor
Deficimus ſolito defecti ſanguine, & igni.

† XXIII.

Somnia.

OMnia quæ rerum luſit Natura creatrix,
Namque ſolet nobis colludere, non ſecus atque
Garrula cum teneris nutricula gaudet alumnis,
Valde animo oblectant tacitae me Somnia noctis,
Miror & attonitus variis errantia formis.
Pallida namque modo veniunt, triſteſque querelas
Conjiciunt, lacrymiſque rigant manantibus ora;
Et modo laeta nimis geſtit levis umbra petulcis
Motibus, argutiſque jocatur callida dictis,
Aſſidet, & tremulo ridet laſciva cachinno;
Nunc turbata furit; furvoque horrenda colore
Enſe minatur atrox, vaſtoque immanis hiatu
Terret, & ardentes oculos fert obvia contra,
Abrumpitque pavore leves a pectore ſomnos:
Nunc ſecus accedit ſuavi pulcherrima motu
Blanda loquens, animumque nova dulcedine vellit:
Quae tamen unde fluunt hæc omnia, quis potis eſſet
Mortalis tantum gnarus cognoſcere cauſas?
Multa ferunt, quae incerta licet, ſunt proxima veris:

Feſſa

Feſſa jacent quum membra gravi devincta quiete,
Evolat inde animus velox, ceu compede miſſus
Ut quid agat; tunc multa videt, loquiturque viciſſim,
Pleraque praeſentit, quae ſunt ventura Deorum
Admonitu, genus unde trahit, cum mens bona rectum
Servat, & immunis ſcelerum tranquilla ſeneſcit,
Tum bene de miſeris gaudens ſolet uſque mereri.
Quæ ſimul ac multo noctu jacet obruta Baccho,
Aut timet, aut impulſa malis jactatur iniquis,
Sive etiam quemquam ſpes erigit, omnia motu
Miſcentur vario, ſumptis ſuper aethera pennis
Ire videtur, aquas vel currere, praecipitatque
Rupibus, & ſcopulis praeruptis, vel grave pondus
Opprimit, una animae vix eſt ſperare poteſtas.
Ceu vigiles nunc laeta videmus, moeſtaque contra.
Nempe animus cunctis procul exit, ſive quieti
Tradimur, integris ſeu ſenſibus eſſe videmur.
Sic deſiderio correptus ſaepe remotos
Ad Calabrûm rapior ſaltus, fonteſque ſalubres,
Antiquaſque domos, primum quas ortus in auras
Aſpexi, procul occurrunt ut ſomnia noctis.
Et qui jam pridem tumulatus decidit, oſſaque
Arida, & extinctum cinerem, luctuſque reliquit,
Saepe patris jucunda modo, modo triſtis imago
Alloquitur, fuerat ceu quondam ſuetus, & uſque
Hortatur, vitamque oſtendit ſedulus omnem,
Quidve ſequar, fugiam quid contra praecipit abſens,
Perſonat atque auris notis mihi vocibus, haerentque
Oribus ora, datur modo non tractare poteſtas.
Quin etiam qua nil pernicius omnia cernit
Mens eadem, quos non vidi, videt illa ſuperbos
Aut reges, vateſque ſacros, volat altius, inque

Templa Deûm, redit iſta cupidine, ſemper hiatque,
Unde prius delapſa, recurrere ſaucia rurſus.

† XXIV.

Anas.

Gaudet Anas fluvii frigentibus humida ripis,
Dum furit incumbens terris Sol acrius aequo,
Et querulis frondoſa fremit jam ſilva cicadis.
Haec ſuſpenſa modo ſumma ſe ſuſtinet unda,
Et refovet gelidis obſtantia pectora lymphis,
Nec potis eſt vis ulla retrorſum pellere, quiſquis
Praecipitatur aquae lapſus, ſtat fixa, nec hilum
Cedit, in immenſo cautes velut edita ponto:
Parvula namque licet rebus componere magnis.
Nunc fluitat, vitreiſque ultro ſe fluctibus abdit,
Ter cadit inque caput praeceps, rurſuſque ſub auras
Tollitur, & croceum defigens flumine roſtrum
Turbat aquas, geſtitque recenti ſpargier unda;
Interdumque immota ſecundum lata per amnem
Labitur, ut compulſa fluit levis aequore cymba
Cum mare contractis velis ſecat incita vento.
Saepe etiam adverſo contendit vertice nitens
Contra nare, pedeſque urgens ſimul obvia fluctu
Remigat, & geminis pellit retro vada palmis,
Queîs intenta ligans digitos membrana coërcet,
Trajicit hac vaſtoſque lacus, fluvioſque rapaces;
Nam ſi fiſſa foret manus unguibus interſciſſis,
Diſcretos levis humor aquae interrumperet uſque,
Atque pedum, validus quamvis, vaneſceret ictus.
Haec operae pretium eſt ſpectare, & ludere verſu

Sic

Sic gracili, quando rerum Natura creatrix
Me tenet attonitum, quo lumina cumque locorum
Verto libens, nihil hac quicquam mihi dulcius una eſt.
Sed ſatis haec, jam jungit equos, jam fuſca reſurgit
Oceano, tenebriſque polum Nox inficit atris.

† XXV.

Aquarum concentus.

OBſtrepit aërio de culmine nocte ſilenti
Gutta fluens quoties Auſtris pluvialibus aër
Cogitur, & multo tellus diffunditur imbre;
Et nunc illa cadens aequo diſcrimine murmur
Suave ciet, crebro ſeſe nunc concitat ictu
Subſtratamque ferit ſilicem: nil dulcius illa
Eſt mihi, feſſa jacent molli cum membra cubili;
Non lyra, non citharae, non ſuavi tibia cantu;
Cantus quis tam jucundus? ſi credere fas eſt
Hinc ortam ex undis Muſam, quæ garrula complet
Omnia concentu vario, mare, ſidera, terras:
Nam quid dulce magis, muſcoſo cum ſalit antro
Fons gelidus, tenuique fluit per gramina rivo;
Aut ingens ſummis dejectus montibus amnis
Cum venit, & rauco ſaxoſas murmure valles
Praecipiti infertur lapſu? ſonat omnis utrimque
Ripa, ſonant ſylvae quae flumina circumvallant.
Quid, Pater Oceanus levibus cum littora pulſat
Fluctibus, & ſcopulis illiſus caerula mulcet
Aequora? ſubſiſtunt venti, paſſimque videntur
Nereides per ſumma leves agitare choreas,

Delphinumque greges placidis colludere in undis:
Tunc Venus alma poli linquens convexa reviſit
Regna patris, gaudent undae, cum vecta per aequor
Viva Cytheriaca dilabitur aurea concha;
Et Deus ingenti labefactus amore, repente
Aſſurgit, trepidamque ſedilibus accipit altis;
Omniaque immenſi laetantur numina ponti:
Sol quoque cuncta videns ſegnes calcaribus urget
Acer equos cupiens liquidos contingere campos.

† XXVI.

Tempe, ſeu Turris vetus prope Crathim amnem.

Molliter acclinis rupes, mox ardua ſurgit
Et praeciſa volat ſub nubila celſa, ſinuſque
Pandit in immenſum moles imitata Theatri.
Altius hac nil eſt nil hac muſcoſius uſquam,
Quodque magis gelida feſſos refrigeret umbra,
Incendit Canis aeſtivas dum lampade terras,
Et frondoſa fremunt querulis virgulta cicadis:
Inde vocant Tempe; locus eſt prope Crathidis undas
Qua ſeptem caput attollens ſe montibus effert
Nobilis, & pingues ſpectat Conſentia campos
Grande decus Calabrûm, fuit haec mihi cognita primum
Editus in lucem pavidus cum lumina circum
Verſabam nitidi ſpeciem miratus Olympi;
Hinc animus revolat, dulceſque reviſere fontes
Geſtit, & apricos colles, ſilvaſque virentes,
Nec deſiderium potis eſt vis ulla morari,
Mens avet ardenti percuſſa cupidinis aeſtu,
Florentiſque novo gaudere examine pubis.

O quos

Digitized by Google

O quos concurſus! hilaris domus exilit omnis
Obvia, certatimque ruens amplexibus ambit,
Atque optata genis rorantibus oſcula jungit
Laetitia excutiente novos e lumine fletus:
Haec reor ante nova, quam luce reluxerit ore
Diva renidenti quater inſtaurata bicornis
Interea, rerum longe cariſſima, ſalve
Cumque tuis vigeas pulcherrima ſemper alumnis,
Paſcere ſeu dabitur tam dulci lumina viſu,
Seu mea, quod non fas, diſcerpunt gaudia venti;
Namque piis faciles precibus Deus admovet aures;
Et tibi laeta Salus oculis adrideat aequis,
Qualis Hyperboreis fertur, qui longa pererrant
Saecula, & una omnes mors tempore ſolvit eodem,
Cum matura comas tamdem mutaverit aetas;
Perpetuoque tuis Mavors ſit finibus exul
Seditione relegata, pia, candida, ſimplex,
Unanimeſque meos teneat Concordia cives,
Nomine ut ex vero conſtat, conſentiat omnis,
Quod ſimul hinc dici ſeſe Conſentia jactet:
Nec Lybicis cedas quoque meſſibus, augeat uſque
Omnibus hinc, illinc te rebus fertilis annus:
Inſula Oceano in magno velut alma beata
Eſt ubi dives ager, telluſque inarata videtur
Sponte ſua fruges diffundere, fontibus idem
Non liquor eſt, vitreis ſcatet hic uberrimus undis,
Purpureis rubet ille coloribus, aureus alter
Diſtillat ſemper ramis frondentibus humor,
Et nive candidior, ſpumans quoque rivus abundat;
Non eadem noſtris florent arbuſta, nec uſquam
Tam variae volucres concentibus aëra mulcent,
Queis longe aſſurgunt, Medus quos miſit, & In-
dus
Attica quaſque dedit, quas nobilis unda Cayſtri:
Illic certa piis domus eſt, procul unde locorum
Livor abit, ſitis & fulvi inſatiabilis auri,

Digitized by Google

Nec pavor exanimat, nec mentis futilis aeſtus
Laetitia, aut mordaci extollit gloria fuco;
Omnibus at ſincera fides, pietaſque Deûmque
Relligio, & quicquid ſuadent haec tempora, queîs me
Natum eſſe alterius gaudet mens praeſcia vitae.

† XXVII.

Viticula.

Cernis, ut extendat tenuis Viticula palmas
Atque roget jam paene manu ſe ſublevet ulmum?
Ne, quia non potis eſt per ſe firmata morari,
Concidat, incultoque caduca recumbat in arvo,
Atterat atque comas, & ſcindat ſentibus uncis,
Aut decerpat edax errat quae bucula campo:
Nec timor omnis abeſt, purgat dum falcibus antes
Vinitor offenſus ne creſcat inutile vimen;
Erigit idcirco ſeſe ceu provida, jamque
Quod prope cumque videt, cernat velut, arripit omne
Brachioliſque tenax ligat acrius, annulus atque
Multiplici aſtrictus ſpira ſe involvit in orbem,
Ter quater atque ambit ramos, ita flexilis, ut non
Incumbens gravis Eurus aquis, aut turbidus Auſter
Enodare queant, arctoſque reſolvere nexus;
Anchora mox, polypuſque velut complexa reſurgit
Rurſus, & huc illuc diffundit prodiga longe
Vimina, quod nihil eſt non vinctum, brachia mille,

Mille

Mille manus teneros inneƈtunt undique ramos;
Frondibus, & patulis ſerpens interviret ulmum;
Quae ſuper incumbens caram defendit alumnam
Neu rapidi nimium Soles, neu laeva perurat,
Unde ſuum naƈta eſt nomen, demiſſa pruina;
Aut glaciata gelu grando de nubibus atris
Contundat teneros deſcendens alba racemos.
Ergo palmitibus ſuſpenſa tumeſcit acerba
Uva prius, ſucco, mox aucta nigreſcit, & imbre
Sparſa levi ſenſim dulci miteſcit Jaccho;
Qui ſimul infuſus, deformes undique curas
Diluit, ardenteſque extinguit peƈtoris aeſtus.

AN-

ANTONII THYLESII

CARMINUM

LIBER II.

I.

Dono mittit JOH. MATTHAEO GYBERTO
reticulum ſericum.

SERICA *jam dudum maculis mihi Cingula denſis,*
Inſignis niveo ſtamine miſſa fuit.
Quae diſtenta aperit creſcentes mille figuras,
Et variae exiguo rete vagantur aves.
Dic Dea, cui radius cordi eſt, & penſa, coluſque,
Quis tam formoſo munere dignus erit?
Nempe, tuis primo qui ſe dedit artibus aevo,
Inque dies magis eſt deditus, atque magis,
Gybertus, quem nulla Venus movet, aut ſitis auri,
Alea nec ſegnes perdit avara dies.
Per te, perque patris precor, o Tritonia, numen,
Ne pigeat ſacrae limen adire domus,
Prima aderit cum nox, juveniſque oracula ceſſant,
Pythia veridici quanta fuere Dei.
Sed memor ante pios galea caput exue poſtes,

Sic merito fas eſt verba referre Deam.
Attonita aſpicies, te qualem fontis imago
Diva refert, vitreo cum lavis amne comas.
Lumina ſunt eadem, color idem, ſpiritus idem eſt,
Nec loquitur verbis diſſona verba tuis,
Forſan & eſt tecum de vertice natus eodem,
Tam ſimiles quis idem non putet eſſe genus?
Atque ubi ſancta tuis continges pectora palmis,
Exornans donis officioſa meis,
Effice, plus valeat blandi ne Ceſtus amoris,
Cingula quam caſtae Palladis apta manu.
Ille valet cupidos conjungere foedere amantes,
Perpetuo haec valeant nectere vincla fidem.
Utque meum ſibi jam GYBERTUS vinxit amore,
Ingenti ut ſemper vinxit amore animum,
Sic amat ille ſuum, rogo te, Dea magna, nitentes
Perque oculos, flavas annue perque comas.

II.

Dum in ſilvis queritur Polyhemus, audiens echo reſonantem, voces opinatur Galateae, ab eaque dolet irrideri.

QUid mecum quereris? vel me, magis improba, rides,
Garrula, vocalis, mima, diſerta, loquax?
Quae mihi nulla videris opacis abdita ſilvis,
Sed mea dicta refers aſſona, nulla licet.
Jam ſatis, o Galatea, ſuperque jocoſa fuiſti,
Ludere quin ludum deſinis inſolitum?
Quin profers formoſa caput, latebraſque relinquis?
Inque ſinu recubantem ambitioſa foves?
Irritas laſciva, meum jecur aeſtuat ardens;
Ibo ego per rupes, teque per antra ſequar.
Nunquam hodie evades ſalſas fugiens ſuper undas,
Flu-

Google

Fluctibus aut merges lapſa ſub aequoreis;
Sed gelida mecum requieſces ſtrata ſub umbra
Ilicis, ad ripas dulce ſonantis aquae.
Et modo blanda choros agitare virentibus herbis
Hoſpes gaudebis inter Hamadryadas,
Dum cava mille ſonans numeros mea garrit arundo,
Ludit & intonſas corniger inter oves,
Quamvis muta ſilet nunc fiſtula, buccina poſtquam
Tortilis inflexo turbine miſſa fuit;
Quae patula hirſuto illudens in pectore pendet
Pignus vel noſtrae teſtis amicitiae.
Congregat una greges ſparſos ad ſepta, fluentis
Hac quoque deponunt ubera lactis onus,
Admoveo aſſidue ſimul ora, impexaque menta,
Sola etenim ſedat concava teſta ſitim;
Saepius & multo ſinuoſa volumine queſtus
Fundit, & umbriferum perſonat omne nemus;
Ac mihi dum texto calathus concreſcit hibiſco,
Barbatos tibi ſit paſcere cura greges.
Interdum pharetrata fugacibus obvia cervis
Ibis lyncaeo tegmine amicta humeros,
Candentes humeros, qualis nix albet in Aetnae
Aëriae incenſis frigida verticibus,
Quae velut aeſtivis tabeſcit ſolibus, utque
Liquitur ex altis lapſa cacuminibus,
Sic miſer, Aetnaeo quem non minor ignis inurit,
Solvor, & ora madent fletibus aſſiduis.
Munera quid referam? torquatas laeta columbas,
Picta quoque hinnulei mollia terga notis;
Qui tener, aſſuetuſque ſero, lactiſque fluore,
Caprigenum quaerit, conſequiturque pecus
Teſqua per, & rupes, & per frutices dumoſos,
Jamque manu inſtituit carpere dente cibos.
Atque alia accipies: ſed munera nulla movent te:
Saxa ego veſtigans te latebroſa petam.

Quae-

Quaenam, age, quae curvis convallibus inſonat? audis,
Quam docili noſtros reddidit ore ſonos?
Dura, proterva, procax, petulans, quae illudis amantem,
Quo properas? nullum jam datur effugium;
Certum eſt per ſaltus perquirere, ſicubi ſe abdit:
Ite canes, rurſus rettulit, ite canes.
Fallor, & his forſan latet occultata cavernis
Delia, namque canes infremit alipedes,
Incutietque feris rabiem. Cadmeïa proles
Senſerat iratae numina ſaeva Deae.
Feſſus an ingenti ſub fornice ſemicaper Pan
Se reficit? locus hic arguit eſſe Deum;
Oblita nam tonſo, mollique ſedilia muſco
Laeta virent, fons & dulcis abundat aquae;
Tum coma formoſis procumbit pinea ramis,
Floret & illaeſo cæſpite dives humus.
Excitus hic ſomno furit irritabilis ira,
Saevaque terrificis objicit ora modis.
Quisquis es, opperiar, mugit ſpecus ecce reſultans,
Quis ſcit an his ſtabulet Bellua dira cavis?
Effera quae vaſto ſi carcere forte fuiſſet
Libera, quas ſtrages prodigioſa daret?
Atque utinam me nunc ingentibus aſpera malis
Perderet, ut tandem deſinerem eſſe miſer.

III.

De obitu Auli Jani Parrhasii.

QUis ſitus hic? ſitus hic? non eſt, inimica Minervae

Impia

Impia cur ſacro texat opus lapide.
Conditus hoc inquam tumulo? vel quis jacet? Aulus.
Numquid amata Deae Tibia Cecropiae?
Ferali extinctos ſolita eſt quae efferre querela,
Num ſilet? inque vicem nunc tegit alta ſilex?
Memnonio reſonat magis haec quin Mauſolaeo.
Non tamen artificis tibia facta manu eſt.
Qualis es hoſpes, ego vel qualis, amica choreis
Muſarum haec ſpirans Tibia talis erat.
Nec jucunda magis fuit alitis illa puellae
Tergeminae, illectas ſiſtere blanda rates.
Jamque latina fuit Siren; inſignia Graji
Rhetoris hoc hoſpes ſunt quoque digna viro.
Audita Eridani prope flumina, dixit & amnis,
Non mutatus olor dulcius ore canit,
Dum Phaethontaeos querulis moribundus amores
Vocibus, atque ſuos ingemit interitus.
Tibris & obſtupuit doctae modulamine vocis,
Aſſonuit ripis haec quoque, Tibri, tuis;
Faſſus & huic uni es veteres ceſſiſſe Quirites,
Dum Latiis ſonat hic dulce magis Latium.
Attice ut Attaea magis urbe locutus, & ipſa eſt
Hoſpes divino dictus ab eloquio.
Unde ſuperbit aquis tumefactus Crathis alumno,
Piſcoſis colles Crathis oliviferos
Fluctibus allabens pulcherrimus, arva fovenſque
Pinguia, pampineas ſuſpicienſque comas,
Quaeque cruenta gerit ramis frondentibus arbor,
Lapſaque collectis poma cadunt foliis.
Qui nunc auricomans triſtis caput occulit undis,
Auget & inſolitis fletibus amnis aquas.
Qua vetus aucta viris ſeptem ſe montibus effert
Aemula Romanis montibus, & Libycis,
Dives opum, Calabrûmque decus Conſentia, nati
Funera, quae rapti moeret acerba parens.
Plurima ubi manant gelidis reſonantia Tempe
Fon-

Fontibus, herboſa rupe viretque domus,
Aonidum domus, hanc permutat ſaepe relicto
Fonte Aganippaeo Pieris alma domum:
Unde miſer migrans vaſtam modo Ditis in aulam,
Non potes, ut redeas, Jane, aperire fores;
Eumenidaſque truces, canis & portenta, Chimaeras,
Peſtis Echidnaeae ſibila mille paves.
Te tamen inde fugax rapiet, nec Fama ſepultum
Centena reſonans garrula voce ſinet.
Cumque aliis, procul illa licet, vetus audiet ora,
Gens tua, nec tacitum deſeret Arcadia;
Multus at umbriferis calamo cantabere ſilvis,
Oreque, namque tuum callet utrumque genus,
Annuaque ad tumulum ſolemnia dicere vates
Thyrſis erit, Corydon, & Meliboeus erit:
Ibis & aſtra nitens inter fulgentia, non qua
Sol venit, Heſperias vel cadit inter aquas,
Vel latet alter ubi dejectus, & abditus infra
Tartara, luminibus invidet aſtra polus;
Sed quos ſublimis rotat ignes concitus axis,
Vertice quae ſummo ſidera clara micant,
Nec lavat unda maris, vaſto ſed in aequore certos
Semper agunt nautas lucida per tenebras.
Illic te cognata Lycaonis accipiet lux,
Nec modo caeleſti fulget honore fides;
Tibia ſed veniens augebit lumina Caeli
Nocturni, gnarus ſuſpicietque Conon,
Miratuſque novum decus acceſſiſſe, quid ipſa
Naſcuntur ſacro ſidera conjugio?
Quodque novo exoritur ſidus magis enitet aevo?
Dicet. Sed felix, haec ſatis, hoſpes abi.

IV.

Parma urbe obſeſſa.

URbs vetus armatis obſiſtens Parma catervis,
Nunc tandem ex vero bellica nomen habet.
Tot ſimul extorquere Duci quam millia telis
Perfractam, hoſtiles non valuere manus.
Non ſolet hic Parma trepidus dare terga relicta:
Gallica lex haec eſt, non Lacedaemonia.
Quin Romanorum velut Annibal oppoſuit ſe,
Unus enim clypeus omnibus ille fuit.
Alter ut enſis erat, Poenus quem Marte doloſo,
Et patriis metuens contudit inſidiis.
Ante ſed articulis ſervato umbone cruentis
Vulnere pinxiſſet, fortis ut Othryades:
Et velut Aonius dux victor laetus eodem
Clauſiſſet viſo lumina, caede madens;
Quam raperet paſſus, tantiſque inſigne trophaeum
Hoſtis jactaret maximus exuviis,
Qualibus ornavit Mavortius alta Feretrj
Templa Jovis Romae conditor Iliades.
Cedite cuncta, prius quaecumque fuere per aevum,
Scuta virûm; priſcis praeſtitit ecce recens.
Quod Capitolina ſuffixerat ultor in arce
Scipiadum, accenſa Martius ante coma;
Quodque Numa aethereo dejectum condidit axe,
Quod Diomedaei ſurripuere doli;
Vel quod Phidiacae manus exornata Minervae
Suſtinuit celſis ardua culminibus;
Ipſa vel immanes quo Gorgone ſaeva Gigantes
Perfurit, armiſonus quod pater ipſe gerit

Tegmine munitum carae nutricis, eoſdem
Terrigenas inter cum tonat igne Deus:
Haec texit non una virum nam Parma, ſed omnes.
Quam bene dicetur, nunc olus olla legit.

V.

Aeneas ex Antandro conſcendens, Patriam a Graecis deletam alloquitur.

JAm nova caeruleas deducta eſt claſſis in undas
Caeſa ſub Idaeis pinea verticibus.
Impelluntque leves ſuſpenſa rudentibus aurae
Lintea, dilapſis undique ſideribus.
Linquendum eſt jam dulce ſolum, fuit inclyta quondam
Troja ubi, ſive armis inclyta, ſive opibus.
O Patria, o manibus disjecta hoſtilibus, omnis
Collapſa in cinerem, & flamine ſparſa Noti!
Tanta fuit numquam e florentibus urbibus ulla,
Tam ſubito, & caſu diruta praecipiti.
Siqua ſalus ſupereſt poſt fata noviſſima, ſalve,
Atque vale, extremum hoc, quod datur, aſpicere eſt.
Non licuit, ſaevis aut te hoſtibus eripere, aut me
Te prius optato concidere interitu?
Flavus ubi toties atratus caede refluxit
Xanthus, ubi & Simois decolor auxit aquas;
Quave manus Danaûm pavitans per littora in altum
Profugit, ratibus delituitque cavis;
Aut latebroſa gravis tenebras cum enixa per atras
Exitium peperit bellua Dardaniae;
Cum, cives rapite arma, urbs tota fremebat in auras

Voci-

Digitized by Google

Vocibus, hoſtis adeſt, ferte agite arma viri.
Ilion aeternis deplorandum lamentis,
Quis tuā tot potis eſt, quis mala tanta queri?
Saevitiam hoſtilis ferri ſubiiſſe, per aedes
Civili undantes ſanguine, perque vias.
Ignibus heu devota furentibus omnia, ſiquid
Reſtitit, Argolicae ſenſit aratra manus.
Tunc potui ſupereſſe armiſque, doliſque Pelaſgûm,
Numine ſublatus matris Acidaliae.
Cum vetus armipotentibus arx Priameïa Grajis
Capta, malum, auratis ardua culminibus
Corruit, & flammis ſuperantibus omnia diris
Exultabat atrox caede Neoptolemus;
Quem furere, & geminis immiſtum vidi ego Atridis
Terribilem abjectis ſtare cadaveribus,
Hercaeumque Jovem Regis foedare ſenili
Sanguine: quam indigna eſt hoſtia caeſa Jovi?
Funera poſt nati crudelia raptus ibidem
Ilicet aeternum tuque, puerque vale,
Et ſuboles germana, perit quae, excelſa viretis
Silva velut telis ſaucia nubigenis.
Perdidit unius furor omnes; ſemper aquoſa
Malûiſſes Ida paſcere lanigeras,
Agreſti contentus amore, fuiſſet Oreas
Sive tibi cordi, candida ſive Dryas;
Innuptis quam ſic alienam abducere nuptiis
Damnoſo inſignis factus adulterio.
Tempore quo virgo doctiſſima Priamidarum
Sparſa comam, & niveas fletibus uda genas,
Affatur mare proſpectans e turribus altis
Infortunatos Laomedontiadas:
En iterum Grajis cadit Ilion, Ilion armis;
Pergama collucent ignibus Inachiis.
O tantum probibete nefas, miſereſcite venti,
Vos ſaltem venti pellite, ferte ratem,

Reddite deſertis, fugit unde, Penatibus, actam
Turbine vel rapidis mergite vorticibus.
Quid ſoror inſanam retines? ad buſta jacebis
Tu quoque amatoris vindicis ulta prius.
Sed melius, mihi quam quod Fata inimica reſervant,
Impie, dira dabis jam mihi ſupplicia.
Verte, Dea, ingentes fluctus, e nubibus atris
Nata patris caſta conjice tela manu.
Ultima ſed ſuperant immania, maxima Phoebi.
Nulla forent utinam, vel rata dona forent.
Sed tantae reus es ſeu caedis, ſive Deorum
In mala devotus numine, tuque vale,
Eminus Herculei trajectus acumine teli,
Sparſus & intonſam pulvere caeſariem.
Et patriae ante omnes quondam tutela peremptus
Magnus Achillaea cuſpide Priamides,
Felix Priamides, cui ſic occumbere, mortem
Et licuit campis oppetere in patriis.
Excidio ſuperare tibi non contigit urbis.
(O Neptune perit, Phoebe opus atque tuum.)
Nec ſtupefacta repentinis ululatibus auris
Horruit, & rebus tot doluere oculi,
Infandis rebus, quas nox congeſſerat una,
Una omne extinxit nox decus Iliacum.
Ah facinus! celſo dejectus culmine quis non
Reſperſit lacrymis hoſtibus ora puer?
Sacrilegas miſer ille manus tremefactus, & iras
Senſit Ulyſſaeas regius Aſtyanax.
Imperiis quoque paret herilibus Hectoris uxor
Tradita victoris ſerva miniſterio.
Haec quoque praemoriens vitaſti, munere divum
Mors data, non vitae lux tibi dempta fuit.
Sed neque regaleſque nurus, matrumque catervas
Contigit addictas cernere ſervitio,

Perque

Perque ſalum rapere inſuetum, inſultantibus eſſent
Tam procul Argivis matribus ut famulae.
Trojugenûm regina parens longaeva triumphis,
Paſſa nefas o quantum! acta Agamemnoniis.
Et ſoror Aeacidae lethalis cura ſepulti,
Altera quaeque tuum movit Apollo animum.
Tertia, quam flammis nequicquam atque hoſte recepi,
Rapta iterum eſt conjunx regia caelitibus,
Qui mihi fatalis ſociam invidere laboris,
Jucundam, longae qui comitemque viae.
Illa per umbroſas, docuere oracula, ſilvas
Sacra facit Matri maxima Turrigerae.
Quanta tamen cumque eſt, mihi certe nulla relicta eſt:
Praeſidet alma aliis, ſed perit illa ſuis.
Care puer, jubeam cur ora madentia fletu
Tergere, & curas pellere, Iüle, animo?
En ego ſolator tot luctibus indefeſſus
Frangor, & huic uni mens mea preſſa malo eſt.
Vive tamen noſtri non immemor, o ubicumque
Es nemorum, fluvios ſeu colis undiſonos,
Atque vale: feror exul aquae ſuper aequora vaſta,
Fata jubent quo me tendere caelicolûm;
Et pater ipſe comes grandaevus non timet ire
Servatus patriae bis pater exitio;
Nec communis amor natus tua dulcis imago
Parvus idem profugus denegat exilium,
Cum ſociis mecum ſimul omnia ferre paratis,
Aſpera quae terrae, quaeque ferunt maria.
Jamque rates evaſerunt: quos igne, Penates,
Eripui, velis flamina carbaſeis
Servate, o ſemper felicia! voſque Latinis
Templa manent meritos maxima littoribus.

VI.

Ad Rus ſuum.

QUando ſub nemorum coma
  Semotus populo te fruar improbo
O Rus, grata animo quies?
  En ex quo pelagi ſol oritur vadis,
Et ſerus micat Heſperus,
  Urgens me aſſidue turba procax tenet
Feſſum mille laboribus.
  Felix heu nimium, cui licet inviis
Silvis aevum agere, o nemus
  Lympharum ſcatebris irriguum nemus,
Formoſiſque refrigerans
  Umbris, & Zephyris aeſtiferos dies.
Quam me, quam juvat in ſolo
  Stratum gramineo cernere garrulas,
Et ramis volucres vagas!
  O quis me procul hinc conſtituet jugis
Frondoſis! prope concavas
  Rupes, muſcus ubi ſaxa virens tegit,
Hircus corniger & rubos
  Paſſim carpit edax pendulus aſperos,
Flavae lumina Phyllidis
  Dum voce, aut calamis multiforis canit,
Et juncis calathos leves,
  Aut ſciſſa Corydon nectit arundine.
Quem non ambitio levis,
  Livor nec miſerum luteus inficit.

Digitized by Google

VII.

Alae Cupidinis

Ad Theocriti imitationem.

H*As tibi, parve puer, numeroſas dedicat alas,*
Feſſa jugo tandem colla ſolutus amans.
Decreram ſpecula me dare Leucadis,
Aut necem ferro properare adacto,
Alta claudere vel diem
Pendulus Orno.
Ora madebant
Largis pallida fletibus,
Serpſerat furtim calor in medullis,
Qualis Trinacriae rupibus aeſtuat
Ignis; nunc memores munera parva damus,
Sed quae nulla queat conſumere longior aetas.

† VIII.

Alae Cupidinis.

Q*Uem tam ſecuro foviſti ſemper amore,*
Ut nullum dominae ſenſerit imperium;
Compoſitaſque ſuam in puellam
Crebras undique fraudes
Spreverit omnes;
Qui ſacer uſque
Securuſque ſub alis
Vixerit ipſe tuis beatus;
Ille, Cupido, tui nunc memor officii
Ex fulvo geminas auro tibi dedicat Alas.

IX.

De Prometheo, & Cupidine.

ILluſit Superis quondam vaſer omnibus unus
Mortalis, tacitas ſurripuitque faces.
Juppiter ulciſcens mortales imperat omnes
Ludat ut occultis ignibus unus Amor.

X.

De Juvene perſonato.

DUm tegit os roſeum juvenis ſub imagine Mauri,
Et velut inſidians urbe vagatur Amor,
Aſtitit agnoſcens Glycere tamen, inquit &c: oris
Quid juvat egregium diſſimulare decus?
Sed neque diſſimulas, magis ardent lumina in atro
Tegmine, ut obſcura ſidera nocte magis.

XI.

De Hyacintho.

NIl opus elogio redimire, aut flore ſepulchrum:
Ipſe ſibi flos eſt, elogiumque puer.

De

Google

XII.

De Vite rubente.

Caederet immeritae Vitis dum crura, recidit
Ipſa ſua, & dira caede Lycurgus obit.
Unde prius viridis, rubet hoſtis ſparſa cruore
Illaeſo Vitis ſtipite, & ulta nefas.

XIII.

De Scarabeis.

Parvula Siſyphio gens condemnata labori
Quas figula ipſa facit, fertque refertque pilas.
Pars nigra, ut Aethiopum manus uſta caloribus horret
Regia, pars viridi picta colore nitet.
Parva micat cujus dorſo nota, magna minutis
Si conferre licet, Luna puſilla velut.
Dixit Equum Lunae hinc cognomine Brutia Tellus.
Quod ſi bellator ſic nituiſſet Equus,
Illo capta foret non una Semiramis, eſſent
Cent auri & plures, quam genus eſt Hominum.

XIV.

De colore Purpureo ab Hercule primum invento.

Errat. dum bibulis Herculeus littoribus canis,
Nantem ſorte videt ſpumifero gurgite Purpuram,
Aggreſſuſque ferox corripuit viſcera mordicus.
Non paſtus rediit commaculans gramina ſanguine.
Quem Tyro ſimul ac pulchra videt (namque erat haec comes)
Prolutum roſeis candida ſic ora coloribus,
Alcidem alloquitur : non alio munere te ſequar,
Quam ſi picta mihi palla rubens huic ſimilis datur;
Quod nunc per ſpolium terrificae te rogo Belluae,
Inviḉtaeque manus robora, per tela ſonantia,
Non ignota avibus nubila translata fugacibus,
Da ferre haec (poteris nam omnia) nec te tenuit Maris
Circumfuſa palus, Heſperidum quo minus aurea
Ferres munera. Sic brachiolis fata revinciens
Robuſta implicuit Nympha procax colla tenaciter.
Paret victus amans blandiciis Amphitrionius,
Nactuſque exanimem, quam expuerat jam mare, purpuram
Infecit Tyrio primus ovem Murice candidam.

In

Digitized by Google

XV.

In obitu Petri Gravinae.

NUllius aeque ſuit Aoniis grata Camoenis vita,
Ac tua, jucunde Gravina; dolent rurſus morte nec ullius
Ita acerbe; tuum obortis tumulum lacrymis urgent miſeriter,
Inſcriptiſque exornant hyacinthis; & ſaepius heu, heu
Tacita ingemit urna querens periiſſe decus ingens Latii.
Gelidus ſaevi frigore lethi, qui ſimul ore obmutuit,
Ubi Venus, & ſuadendi dulcis Dea ſemper erat Pitho:
Muſis nihilum eſt cordi, tantum Vatis carmina relegunt,
Recinuntque per umbras, Nemus & Caſtalium, ſpretis Phoebi
Carminibus. valet una, Paleni, (a) res;
Fletuſque genis extergere manantibus. ille etenim ille
Obiit fama nunquam moritura, ſecumque Gravina
Gaudet ſimul ipſa Camoenarum te volitare per ora.

In

(a) Joh. Franciſcus de Capua Palenenſium Comes, cujus opera Gravinae Carmina edita fuere.

† XVI.

In obitu Aureae Ferrarae.

Pulchra Cypria, Cypriaeque pulcher
Fili, pulchraque turba Gratiarum,
Omnes Dîque, Deaeque pulchriores,
Vos omnes homines venuſtiores,
Vim magnam lacrymate lacrymarum;
Res fletu, lacrymiſque digna veſtris
Haec eſt: occidit, occidit repente
Miſella Aurea, qua venuſtiorem
Nec conſpexit in Orbe Sol puellam.
Licet fama Jovem ferat Tonantem
Aſſumſiſſe bovis ſibi figuram,
Imbriſque aurei, & albi oloris, ille
Europen, Danaenque tantum amavit,
Et Leden niveam: nihil profecto
Hac eſt, vel fuit, aut erit puella
Uſquam candidius, venuſtiuſque;
Cui frons aurea, & aurei capilli,
Mores aureoli, aureumque nomen,
Ipſaque Aurea tota erat, miſella.

† XVII.

Ad Venerem

De Pompeii Columna e libello.

Spumanti o Venus edita ponto,
Pulchris gaudens pulchra puellis,
Si tibi cordi eſt Diva libellus,

Quo

Quo femineum genus evexit
Pompejus ſuper aſtra Columna,
Celeri concha labere virides
Per aquas vicinam Inarimen, precor,
Ubi Victoria, qualis Siren
Dulce cantat prope littora pelagi,
Sacratque novis cantibus Avalum;
Ac velut incenſa renidet ſoror
Phoebi radiis Cynthia fratris,
Sic contra nunc illa mariti
Auget proprio lumine lumen.
Felix tali conjuge conjux!
Opus huic, tu Dea, manibus
Tu trade tuis, neque enim decet id
Tantum ſcriptum nomine, tantae
Sacratum Nymphae, niſi per te
Mitti; vix eſt illius aure
Quiſquam, ore aut dignus: te precor.

† XVIII.

Ad Silvam ab aegro optatam.

Silvarum decus omnium,
Flavis quas Tiberis fluctibus alluit,
Ingens & Latium colit,
Aeger viſus ubi ludere ſomniis,
Arentemque fluentibus
Pronus ſaepe ſitim pellere fontibus
Spirans expuit uberes
Dulceſque effigies quas elephantina,
Tectus qua paries nitet
Hinc illinc hederis uſque virentibus,
Lucus deſuper, & domos

Den-

Denſis æthereas arboribus petit;
Ut te nunc video laetus, ut omnia
Colluſtrare juvat? quibus
Aeternum carui pene, ſepultus heu
Non patris cinis eſt ubi
Tellus extera, ſed Romula me meis
Clauſiſſet tumulo procul;
Languenti propere cum pius affuit
Gybertus, decus offerens
Oris, ſideribus prima ubi non micat,
Certe ſidus & is velut
Affulſit miſero tunc mihi, & irritus
Admota refugit rate
Hoc viſo Stygius portitor licet,
Caſtos namque pavent viros
Damnati Superûm judicio ſemel;
Aures perſonat atque adhuc
Vox dulcis; veluti certa foret ſalus,
Caelo miſſa ſalus, ſacra
Pallentem miſerans allicit & manu:
Triſtis tunc abiit color,
Defeſſo rediit vividus & vigor:
Hinc te nunc fruor, illius
Soſpes munere, fons, qui exiliens ſpecu,
Occultiſque meatibus,
Piſcoſos reſonans decidis in lacus.

† XIX.

In Lycaonem.

S*Olvitur infauſta ratis alite, te precor altae*
Arbiter Aeoliae,

Car-

Carceribus dimitte Notos, da caerula ponti
Eruat Auſonii
Horrifer inſurgens Boreas bacchatus ab Arcto,
Tundat utrumque latus,
Heu devota mari navis, male texta procellis
Diſſolüenda dabis;
Jam video turbata tuis praecordia nautis,
Jam Pater altitonans
In te tela tenet dextra, jam ſurgit ab imo
Gurgite acerba tuens
Armatus magna Neptunus cuſpide, & omnia
Agmina Nereidum
Eripiunt nimbis, fallax, tua vota, Lycaon;
Jam venit illa dies,
Qua foedam exſpires animam, correptus acutos
Turbine per ſcopulos;
Et tua caeruleis explebunt membra ſub undis
Piſcibus ingluviem;
Aut volitans rauco mergus clangore cadaver
Littore paſcet iners.
Annue vota libens Deus aequoris, icta calentes
Corruet ante focos
Victima pro meritis; nec tu ſine honore manebis
Muneris Hippotade.

ANTONII THYLESII CARMINUM FINIS.

GAR-

GARCILASSI DE VEGA
TOLETANI
a d
ANTONIUM THYLESIUM.
ODE.

UXORE, natis, fratribus, & ſolo
Exul relictis, frigida per loca
Muſarum alumnus, barbarorum
Ferre ſuperbiam, & inſolentes
Mores coactus jam didici, & invia
Per ſaxa voces ingeminantia
Fletuſque ſub rauco querelas
Murmure Danubii levare
O nate triſtem ſollicitudine
Lenire mentem, & rebus atrociter
Urgentibus, ſulcire amici
Pectora docte manu THYLESI
Jam jam ſonantem Delius admovet
Dexter tacentem barbiton antea
Cantare Sebethi ſuadent
Ad vaga flumina curſitantes
Nymphae, jam amatis moenibus inclyte
Non Urbis, amnis quam Tagus aureo
Nodare nexu geſtat, ultra
Me lacerat modum amor furentem
Syrenum amoena jam prima juvat
Cultoque pulchra Parthenopae ſolo
Juxtaque manes conſidere,
Vel potius cineres Maronis
Ah egro deorum quis tulerit rogas
Herbis repoſtis auxilium potens?
Mentiſque conſternationem
Cantibus & fidibus levarit?
Idem ſonanti cui vaga flumina
Siſtunt ſilentes margine vortices

Ven-

Ventoſque narratur frementes
Per nemora ardua conquieſſe
Hic nam revinxit me tibi vinculo
Gratis Camoenae quod mihi nexibus
Texere, praelargus quid ultra
Me miſerum potuit juvare?
Imbrem beatis nubibus aureum
Vivaque talum compede candidum
Nexam puellam, conjugemque
Languidulis oculis querentem
Carmen canentis, ſic animus rapit
Mentemque, ut omnes ſubjaceant graves
Curae, & labores, evolemque
Aliger his ſuper elevatus,
Te mi Thylesi te comite obtulit
Seſe parentis quem veneror loco,
Cui dulce pignus noſtri amoris
Non animum pigeat patere
Arcana Divûm dum referat, novus
Huic pectus alte ſollicitat furor
Curare ſeu mortalium res
Caelicolas, grave ſive monſtrat
Natos parentum crimina ab impia
Vexari, ut auras carpere dum licet
Nec luxui ipſi indulgeant, nec
Poena parentibus ulla deſit
Haec aure cuncti, praecipue imbibunt
Alte ſilentes, & Marius meus,
Rerumque multarum refertus
Atque memor Placitus bonarum
Honeſta cunctos hinc domus accipit,
Liberque ſermo naſcitur, haud tamen
Impune, nam ſi tortuoſis
Nexibus implicitum, quid audes
Suadere, ſperans ingenioſius
Quam verius, nos pertrahere ad tuum
Senſum, ſtatim aggreſſa eſt cohors te,
Ut ciconum irruit in canentem
Num tu fluentem divitiis Tagum
Num prata Gyris avida roſidis
Mutare me inſanum putabas
Dulcibus immemoremque amicis?

BER-

BERNARDINI THYLESII

ANTONII NEPOTIS

AD JOHANNAM CASTRIOTAM

CARMEN

Cum Italica verſione

JULII CAVALCANTIS;

Digitized by Google

CARMEN

NI me divina incendens Sapientia forma
Totum in amore ſui primis tenuiſſet ab annis;
Quam per inacceſſos calles, perque invia vulgo
Paſſibus haud timidis ſectans, alia omnia liqui;
Tu mihi primus amor, Tu maxima cura fuiſſes,
O Grajae, & Latiae Gentis decus, edita Caelo
Progenies, veterum tot ducta ab origine Regum.

Et qui nunc oculis magnorum inviſus Achivûm
Aemulus obverſor laudis, quam conſequor unus,
„ Vltus Avos Trojae, templa & temerata Minervae,
Tecum una volitarem, ipſis vel carus Athenis;
Conſultoque Deae propriis praeferrer alumnis.
Nunc ſolito ingenium neſcit deflectere curſu,
Aut alio jam ardore tepeſcere vis animai.

Sed

TRADUZIONE

1.

SE non che di ſaper, come al Ciel piacque,
Da la mia prima etade
Novo deſir sì dentro al cor mi nacque,
Che per ſolinghe ſtrade
Seguendo ſua beltade,
Quantunque io vidi dopo lei mi ſpiacque:
Tu ſola, dal mio petto
Scacciando ogni altro affetto,
O di Grecia, o d' Italia, o del Ciel pegno,
Donna, del mio cor pegno
Sareſti, e del penſier unico oggetto.

2.

Ed io che a pena l' alta gloria tolſi
A' Greci, e loro avanti
Noioſo agli occhi da quel dì mi avvolſi,
Che i fuochi antichi, e i pianti
Vengiai di Troia, e i ſanti
Templi, ove il pregio a le mie tempie accolſi;
Tra' ſuoi figli 'l più caro
Volerei teco a paro.
Or non ſa l'alma dal ſuo corſo altrove
Volger per mille prove,
Nè ſentir d'altra fiamma il dolce amaro.

Sed qualis Terram tepidi vigor ignis inertem
Illapſus tenuat, pigramque exſurgere molem
Edocet in liquidos latices, auraſque ſequentes
Inverſam, donec lento certamine victa
Cuncta novo aſſueſcant volitare per aëra motu:
Sic tua me virtus ſuperans totum rapit ad ſe
Cunctantem, reſideſque animos molleſcere cogit;
Pondereque exutos in Caelum lumine ferri.

O volucrem flammam, & flammae monumenta volucris
En ſublime feror: nec te, memorande ruina
Icare, deſpiciens, paveo: non Daedalus alis
Suſtinet errantem, major vis tollit Olympo.
Hinc animae proprios motus contemplor, & ipſum
Divinum inſpicio, qui ſpiritus intimus olli eſt.

3.

Come la rozza Terra il caldo lume
Del Sole apre, e difende,
E in acqua, e in vento ſpiega il ſuo volume;
E tanta a l' opra intende,
Che vinta in guerra apprende,
A volar per lo Ciel nuovo coſtume:
Così tutto mi sforza
Del tuo valor la forza,
Che a ſe mi tragge, e i lenti ſpirti, e l' alma
D' ogni terrena ſalma
Scotendo, a volar sù m' invoglia, e sforza.

4.

O fiamma, o alti affetti, cui pur cale
Del Cielo, ecco or men volo,
Nè il tuo cader mirando orror mi aſſale,
Fanciul del folle volo,
Non me Dedalo a volo
Soſtien; ma maggior forza ſpiega l' ale:
E mentre l' aer fendo,
De l' alma i moti apprendo;
E come in lei ſpirital luce eterna,
Da Dio moſſa, s' interna,
Ancor mirando, alteramente intendo.

Hinc ipſam ſpeciem intueor, quae diſſita Mundo
Nativum amittit mortali corpore florem.
Quae ſi tanta tuo nunc emicat, Heroine;
Qualis erit, cum pulchram animam ſua forma nitenti
Excipiet cultu, ac mediis ſpatiabitur aſtris?

Huc pennis contende, vocat quo vivida virtus,
Et Patrum benefacta, & aviti gloria regni:
Cetera quae anguſto Phoebe complectitur orbe,
Fortunae inſtabili verſantur turbine fluxu.
Te nos actutum Caeli per aperta ſecuti
Aequora formoſi divina luce fruemur
Permiſti Divis, dolituri tempore nullo.

Plura loqui Deus ipſe vetat, nec frigida lingua
Pectoris accenſi potis eſt aequare furores.
Tu furtiva ſenis placide cape munera amantis.

Digitized by Google

5.

Quinci 'l bel lume, onde Natura pinge,
L' Univerſo, vagheggio,
Che il ſuo natio ſplendor ne' corpi intinge;
Che s'or tale in te veggio
Arder, che più non chieggio;
Qual fia, ſe dal mortal l'alma ſi ſcinge,
Sì ch' ella in ſua più bella
Forma, a la par ſua ſtella
Tornando, dal terreno incarco ſciolta,
Tra l' alme in Cielo accolta,
Voli con chiara, ed immortal facella?

6.

Quì drizza il volo, ove dal Ciel ti chiama
L' alto valore, e l'opre
Sante, e de i Maggior tuoi la real fama;
Che quanto il Ciel ricopre,
El Sol volgendo ſcopre,
Turba, e raggira in queſta oſcura lama
Di ria Fortuna un fiato,
Che mai non ſerba ſtato.
Te pur io dietro a quel divino raggio,
Securo d' ogni oltraggio,
Seguirò ſpirto ignudo, e in Ciel beato.

Canzon, tutta s' agghiaccia
La mia debil virtude, e non può dramma
De la mia interna fiamma
Ridir la lingua; onde convien che taccia.

E J U S D E M

EPIGRAMMA

Ad Scipionem Mazzellam

Hiſt. Neap. edentem.

Romulidis quantum dux Scipio profuit olim,
Quod valida evertit Punica regna manu,

Quodque ſuae genti famam, peperitque quietem,
Belligeri Jani limina clauſa videns:

Tantum Parthenope, immo plus, tu proficis almae,
Scipio, non armis, ſed magis ingenio;

Aeternis quando ſcriptis ornaveris illam,
Unde tibi, & patriae gloria, bonoſque venit.

Gaudeat hinc tanto tellus jam dulcis alumno
Euboica, & relegat quod bene ſcribis Opus.

GIO:

GIO: GIACOMO DE' ROSSI

nella Tavola de' Lodatori di D. *Giovanna Caſtriota. Vico Equenſe* 1585. *appreſſo Giuſeppe Gacchi* 4.°

Bernardino Teleſio è aſſai chiaro. . . . fa talor Verſi, e rappreſenta più Lucrezio, che Virgilio.

GIO: PAOLO DI AQUINO

nell' Orazione in morte di Bernardino Teleſio. Coſenza 1596. *per Leonardo Angriſano* 4.°

Quanto foſſe eccellente poeta, e come intendeſſe i ſegreti della poeſia, oltre alcune ſue opere, che non ſono fuori, ſi può comprendere da que' pochi Verſi latini, ch' egli fe in lode di D. Giovanna Caſtriota Ducheſſa di Nocera, da' quali ſi può conoſcere l'eccellenza della ſua poeſia, come dall' unghia ſi conoſce il leone, e come Pittagora dal piede d'Ercole conobbe la ſua ſtatura.

IL MARCHESE SALVADORE SPIRITI

nelle Memorie degli Scrittori Coſentini. Napoli 1750. *appo i Muzj* 4.°

Si leggono parimente alcuni ſuoi (*di Bernardino*) Verſi latini nella Raccolta per la Caſtriota, dalli quali può chiaramente conoſcerſi, ch' egli merita nome di leggiadro, ed eccellente poeta non meno, che di profondo, e ſottile filoſofante.

SER-

SERTORIO QUATTROMANI

nelle Lettere lib. II. *lett.* 54. *a Giulio Cavalcanti. Napoli* 1714. *appreſſo il Moſca* 8.°

La Canzone di VS. è coſa divina, e ſarà di molta maraviglia a chiunque intende i meſtieri di poeſia. Parmi che abbia molta ſomiglianza colle canzoni del Caſa; ma in queſto è più ammirabile di ogni altra, perchè tratta ſoggetto aſſai malagevole, e che appena può diſtenderſi in proſa, e ciò fa con tanta felicità, che par che ragioni di bellezze di amore; e perchè anche è coſtretto a dire quelle coſe iſteſſe che dice il latino, ed eſprime ogni coſa nobilmente, che par che ſia compoſizione di chi la ſcrive, e non portata in noſtro linguaggio da altra favella.

IL MARCHESE SALVADORE SPIRITI

nelle Memorie degli Scrittori Coſentini &c.

E ſolo per ſaggio del ſuo (*di Giulio Cavalcanti*) talento nel meſtier di poeſia ſi legge nella Raccolta del Monti una Traduzione di certi Verſi latini del Teleſio in forma di Canzone, che in vero per eſſere un riſtretto traslatamento di coſe malagevoli a ſpiegarſi in rime, è molto da commendare.

INDEX

INDEX

CARMINUM

ANTONII THYLESII.

	Lib.	Num.	Pag.
AEnea vincta hederae foliis cava tempora Bacchi	I.	IV.	54.
Arboreos inter foetus Rex inclyte quondam ex MS. biblioth. Aemilii Jannutii Sabelli	I.	XV.	88.
Argutae primum cum plectra parentis & auro ex lib. III. *Commentar. in Phaedrum* Cunradi Rittershuſii, cum graeca verſione Matthiae Bergii	I.	IX.	78.
Aërio ſuperans Turris modo vertice nubes	I.	VI.	64.
Aſpice ut aureolus virides intermicat herbas ex eodem MS.	I.	XX.	95.
Caederet immeritae Vitis dum crura, recidit ex lib. de *Coloribus*	II.	XII.	121.
Cernis, ut extendat tenuis Viticula palmas ex MS. apud Franciſcum Danielem	I.	XXVII.	104.
Diſcedit noſtro Phoebus velut aethere, & almam ex MS. biblioth. Aem. Jannutii Sabelli	I.	XIX.	92.
Doctis nobilitat ſacer libellis	I.	L.	45.
Dum nova tempeſtas Caeli furit, atraque magno ex eodem MS.	I.	XII.	84.
Dum tegit os roſeum juvenis ſub imagine Mauri	II.	X.	120.
Elapſus poſtquam fuerit de corpore quondam ex eodem MS.	I.	XVII.	89.
Errat dum bibulis Herculeus littoribus canis ex lib. de *Colorib.*	II.	XIV.	122.
Feſſus eram, bibulis licet auribus inter eundum	I.	III.	51.
Fluminis undiſonas ripas praetexit harundo inter *Delic.* CC. *Poëtar. Italor.* a Ranutio Ghero collec. par. II.	I.	X.	80.
Gaudet Anas fluvii frigentibus humida ripis ex MS. apud F. Danielem	I.	XXIV.	100.
Haeret Araneola laxis dum caſſibus errans in calce lib. de *Colorib.*	I.	VII.	74.

Has

Has tibi parve puer numeroſas dedicat alas ex eodem MS.	II. VII. 119.
Hoc quoque , Achaemenides , reſeras , timor omnis abeſto	I. II. 46.
Jam nova caeruleas deducta eſt claſſis in undas	II. V. 114.
Illuſit Superis quondam vafer omnibus unus	II. IX. 120.
Imminet obſeſſis patriae dum moenibus hoſtis ex MS. biblioth. Aem. Jannutii Sabelli	I. XIV. 87.
Molliter acclinis rupes , mox ardua ſurgit ex eodem MS.	I. XXVI. 102.
Nil opus elogio redimire, aut flore ſepulchrum. ex lib. de *Colorib.*	II. XI. 120.
Nullius aeque fuit Aoniis grata Camoenis vita in calce *Carminum* Petri Gravinae	II. XV. 123.
Obſtrepit aërio de culmine nocte ſilenti ex MS. apud F. Danielem	I. XXV. 101.
Omnia , quae luſit rerum Natura creatrix ex eodem MS.	I. XXIII. 98.
Parce , lates viridi quiſquis ſub cortice prudens ex MS. biblioth. Aem. Jannutii Sabelli	I. XXI. 96.
Parvus hiat parvo non diſſimilis calathiſco ex eodem MS.	I. XVI. 88.
Pollicitus fuerat Superis in verba vocatis ex eodem MS.	I. XIII. 85.
Pulchra Cypria , Cypriaeque pulcher ex MS. apud F. Danielem	II. XVI. 124.
Quando ſub nemorum coma	II. VI. 118.
Quem tam ſecuro foviſti ſemper amore ex eodem MS.	II. VIII. 119.
Quid mecum quereris ? vel me magis improba rides	II. II. 118.
Quis ſitus hic ? ſitus hic ? non eſt inimica Minervae	II. III. 100.
Serica jamdudum maculis mihi cingula denſis.	II. I. 107.
Silvarum decus omnium ex eodem MS.	II. XVIII. 125.
Solverat Aetnaeis puppem longaevus Alethes	I. V. 57.
Solvimus ante diem merito dum juſta parenti	I. XI. 81.
Solvitur infauſta ratis alite , te precor alta ex eodem MS.	II. XIX. 126.
Spumanti , o Venus , edita ponto ex eodem MS.	II. XVII. 124.

Suſpen-

Suſpenſus nitet ingenti Teſtudine Mundus I. XVIII. 90.
ex MS. biblioth. Aem. Jannutii Sabelli
Suſpicit erectas Mundus ex omnibus unus I. XXII. 97.
ex eodem MS.
Tantula nocte volans volucris micat aëre tantum I. VIII. 76.
ex *Amphitheatro Sapientiae* &c. Gaſparis Dornavii
Urbs vetus armatis obſiſtens Parma catervis II. IV. 113.

Digitized by Google

ANTONII THYLESII

CONSENTINI

DE CORONIS.

Digitized by Google

ANTONII THYLESII

CONSENTINI

DE CORONIS

AD JOH. MATTHAEUM GYBERTUM

Clementis VII. P. M. Datarium.

BIBLIOTECA NAZIONALE

VArium antiquis temporibus honorem fuiſſe Coronarum , quas Janum tradunt Bicipitem inveniſſe , unde ejus nonnulla numiſmata corollam habent expreſſam , res adeo in promptu eſt , ut eam nihil ſit opus productis quodammodo teſtibus comprobare ; quando Graeci pariter , ac Latini ſcriptores de iis ſaepiſſime loquantur , & graviſſimus auctor Theophraſtus Peripateticus Coronas ſcriptis ſuis nobilitaverit ; necnon Callimachus , & Mneſtheus medici de iiſdem ſeorſum a caeteris rebus , quas uterque memoriae prodidit , multa diſſeruerint . Harum igitur , cum tantorum virorum labores nuſquam appareant , ſtatuenti mihi aliquas , velut e muſarum hortis florentibus , per ludum colligere , tuiſque ſacratiſſimis poſtibus , GYBERTE , in perpetuum dedicare , atque omnia colluſtranti illa primum ſuo ſe obtulit fulgore conſpiciendam , quam divino atque immortali quondam Vulcani artificio caelatam , ipſa manibus ſuis Venus Dionyſio , cum ejus , & Ariadnae nuptias Dii , Deaeque complures non ſine exquiſitis

 mu-

muneribus celebrarent, donum detulit, omnium, quae ab aliis collata fuerunt, longe formoſiſſimum. Solumque excogitatum, ut ſubterranei Labyrinthi perplexos & tenebricoſos errores, velut noctem Solis cedentem radiis, ſuperaret, ac dignum poſtremo exiſtimatum, unde Caelum ipſum novem, praeter illas, quibus ante fulgebat, Stellis illuſtraretur, quot gemmas e Theſpiadum numero, globiſque caeleſtibus earum cantu ſupra mortalium ſenſus uſque reſonantibus, auro incluſit Deorum faber ſollertiſſimus, ſive ejuſdem Bacchi fuerit hedera a nobis in Archinti hortulo carminibus celebrata; quam pro capillo fatorum lege intonſili, in uxoris funere lugens depoſuit Liber, ejuſque ſingulas frondes ſingulis luminibus accendit caeleſtibus, perpetuiſque. Neque enim palmitibus tantum redimitur ille pampineis, interdum etiam racemiferis, ramiſque ficulneis late frondentibus, quibus primum dicitur is victis hoſtibus triumphaſſe, aut variis praeterea ſertis ejuſdem floret cornigerum caput; ſed multo magis hederae foliis delectatur Ciſſi adoleſcentuli memor, quem humi lethaliter afflictum, dum ſecum Satyriſcus temere, & immodice ſaltaret, in arbuſculam mutavit erraticae ſaltationis imitatricem: hinc eſt illud

Ludit adhuc, caſuſque memor, vagus arbore Ciſſus
Mille manus quaerit nectere, mille pedes.

Quamvis aliqui eandem Theſei manu factam prodiderint e flore, quem ab eodem artifice Theſaeum nomine dixerunt. Sit haec inter Coronas, quomodocumque nata fuerit, nunc prima, etſi ſtelliferae noctis domina id minime patiatur Luna, ſuamque longe praeferat Ariadnaeae. Haec autem Dea Solis, ut perhibent, germana, quia ſit ore formoſo, & illuſtri, non datur nobis hominibus contemplari; neque enim divini oris nitor in oculos cadit mortalium, ſive illius ſplendore victi hebeſcunt, ſive indigni ſunt tantam virginis pul-

chri-

chritudinem ſpectare; ſacri modo capitis decus ſuſpicimus geminis cornibus conſpicuum lucentibus; atque ita veteres cum Lunae ſimulacrum oſtenderent, puellam faciebant curru per caelum vehi, dimidiato Lunari globo temporibus accommodato ſurſum verſus reflexo, ut in nummo apparet aeneo Romanorum ſaeculis percuſſo: aſſumſerunt ſibi tam egregium inſigne Antelunares, ſic ipſi ſe dicebant, Arcades, ex quibus Romana poſtea nobilitas accepit, Lunae imaginem pedibus aſſuens, ut fundamentum, hoc eſt principium generis ab Evandro Arcade deductum eſſe ſignificarent; quin & Auguſtus Caeſar in hoc idem argumentum argentum ſignavit, ubi eadem ſpecies curvatae Lunae expreſſa eſt, majoris avunculi, unde adoptatus fuit, ſtellam utroque cornu penitus complexa, ut inde quoque gentem ſuam gloria augeret; in qua quidem re non potuit locum excogitare Octavius toto caelo digniorem, ubi Caeſaris ſui animam collocaret, quam ut in Lunae ſemicirculo eam includeret. Sed neſcio quomodo dum in rebus antiquis, & alienis puto me verſari, in praeſentibus, propriiſque verſor, quando inſtar ſupini hemicycli Lunae dimidium argenteae tribus ſtellis ſplendentibus adjunctis tuum eſt eximium geſtamen GYBERTE. Ut autem unde deflexus eſt, eo reducatur ſermo, quam aliarum primam dixi, non pudeat Cnoſiam coronam Lunae concedere, ſuae, aliorumque omnium ſiderum reginae.

A quibus ut ad eas ipſius Naturae opificio formatas, ac mortalium oculis propius admotas deveniam, nec aliquid de floribus dicam, quorum plerique foliorum ambitu variis coloribus diſtincti puſillae coronae ſpeciem referunt, habet meſpilum neſcio quid hujuſmodi; quod id ipſum in punico, cujus arbor ſola ex omnibus flore rubens puniceo in Cypro inſula Veneris ſata manu primum viſa fuit, multo diſtinctius erigitur, adeo ut inter omnes alias arborum fruges,

quaſi regnum obtinere videatur, nec regio tantum inſigni, ſed totius mali ſpecie, granisquae, velut regum divitiis, penitus incluſis purpureo quodam fulgore nitentibus aptiſſime conſtructis. Pulcherrimum provenit hoc in nemoribus Conſentinis, ubi Terrae, Caelique benignitate plantarum omnium fructus incredibili copia ſpectantur eximii. Fecimus nos & de eo carmen.

Ex animantibus autem, ut ſerpentes miſſi fiant criſtati; & oculea conſpiciendus cauda Junonius Pavo, aliaeque aves, atque ipſa Ciris Virgiliano carmine deſcripta venuſtiſſime; coronatus incedit, quem a Perſis accepimus, gallinaceus leoni formidoloſus, non Nocti tantum, Cybele, Menſi, Mercurioque, & Marti, ſed ipſi quoque Jovi, atque Aeſculapio medico conſecratus.

Quorum alter, nam ſapiens illa, & omnibus diſciplinis erudita vetuſtas Deos coluit, nihilo, quam homines minus voluptarios, ut eorum exemplo nequiter viverent ipſi, neque enim fas fuiſſet ſe Diis immortalibus meliores exhibere; ex illis igitur alter Divûm Pater, atque hominum Rex in quotidianis ſympoſiis, ubi olim in caeleſti triclinio, nam nunc ne in terris quidem locus relictus eſt ullus, ſimul diſcumbebant

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Quae Dearum, Deorumque nomina apte compoſuit Calaber Ennius, cum nullam tamen conjunctionem adhiberet, fecitque, ut Venus Marti accumberet, quo non ſine amore, ut ſodalium una diſcumbentium mos erat, res ageretur; in illis inquam ſympoſiis perpetuus coenandi magiſter Juppiter nectar a Juventute, vel Ganymede aſtantibus miniſtratum potabat quercu redimitus, aut olea: ex quo bellum, puto, inter utramque antiquum & immortale peperit Zelotypia;

nihilo

nihilo enim deterius hae inter ſe plantae diſſentiunt, quam arundinis eſt cum filicto diſcordia; quam vitem odit

Braſſica Threicii lacrymis exortâ Lycurgi;

Quam inter hanc eſt & origanum inimicitia: ut nihil querendum ſit homines inter ſe animis hoſtilibus diſſentire, quando illud idem nihil ſentientibus a Natura ingenitum ſit. Quercum vero oraculis conſecratam, Jovi eſſe cordi nemo ignorat; at olea Solſtitii index ab eodem amatur, cum foliis ſit caeruleis, ut caeli, ubi is regnat, videtur color. Communem hanc habet cum Jove, e cujus vertice armata exſiluit Pallas Gorgonia, quam tamen nonnunquam myrto permutat. Alter Canis alumnus Phoebi ſemper adoleſcentis filius Aeſculapius ſenex, ut Veſta, quae praeter laneam Coronam, adamat etiam lauream, ut ſeditionis expultrix Concordia crinibus circumviret laureatis, ut ipſe Apollo pater per Caelum curru vectus quadrijugo, diſſilientibus radiis effulgens, ſic artis, frondiſque paternae aemulus ille caput fruſtra iiſdem vallatum habuit foliis, cum avi fulmine tranſverberatus interiit. Magnum ſuſtinet pondus Cybele, turribus uſque circum Deae verticem piniferum urgentibus: opinor, multo magis haec laborat, quam Atlas; quando longe gravior eſt ſolidus Terrarum globus, quam Caelum ſuapte levitate ſuſpenſum. At doctrinarum inventrices Muſae levibus pennis caeſariem ambiunt verſicoloribus in perpetuum nobilis Victoriae monumentum: non enim tantum illae garrulas Pierii filias arte muſica victas mutata virginum forma plumis conveſtierunt, ſed Sirenas maris uſque canentes accolas ſuperarunt; qua puellarum acerrima, diuque ancipiti contentione nihil fuit unquam auditu jucundius; cum alterae Oceani ambitus, ejuſque ad nos ingreſſiones, tum oras omnes, inſulas, totiuſque terrae pulchritudinem cantu deſcriberent; excelſos docerent alterae,

continuoſque, & volucres Solis meatus, Lunamque noctilucam, ac perpetuo ſplendore illuſtratas ingentes, altaſque Stellarum moles. Sed ubi tandem canendi ſuavitas, & doctrina Muſis adjudicata eſt, victrices Jovis filiae Sirenum alas ſtirpitus divellentes ſe novo ſerti genere nunquam antea viſo decoraverunt, ne ſolus Maja natus temporibus eſſet aligeris. Spectantur Romae novem Muſarum ſigna marmorea affabre, & antiquo artificio facta, ſingulae pennam habent capillo ſuffixam: non abhorrent & hae a palmarum ramis Victoriae conſecratis eodem ſemper folio pallentibus. Quarum ex una Vrania genitus Hymen cingit tempora floribus ſuaveolentis amaraci. Ejuſque comes Pronuba Juno lilia ſibi legit candentia exorta, ut ajunt, ex ipſius lacte in terram effuſo, cum in novercae dormientis mammam infans Hercules invaſiſſet; unde roſae dicuntur Junoniae: imperat & ſibi alios flores Dea afferri, iiſque novae graviditatis memor, & ſe & flore natum olenio Gradivum ſuum exornat, geniculato propter hoc idem nonnunquam conſpiciendum gramine. Quamvis quis e Deorum numero iiſdem telluris muneribus non capiatur? voluptatis amator imprimis Genius platano etiam gaudens, & Venus, quae non tantum myrteis frondibus ſemper odoratis, ſemperque virentibus, ſed omnibus quoque floribus delectatur. Roſas maxime tamen affectat purpureas ſuo, vel Cupidinis exiguo vulnere coloratas; unde geſtit puer arcitenens eodem ſtrophiolo ornari, cum ita praeſertim ſe pictum a Zeuſide maternum ingreſſus templum hilaris conſpexiſſet: etſi non deſint, qui ſcribant candidam prius, nectare perfuſam puniceo, roſam illico rubuiſſe, itaque divinus etiam odor ex ea efflatur. Eſt & de hac triplici fabella ad roſam epigramma.

Seu te pinxit Amor, volucris ſeu mater Amoris,
Seu Roſa caeleſti nectare ſparſa rubes,

In

In terris quae ſint oſtendis dona Deorum,
Circumſepta comis aurea purpureis.

Quis neſcit & in campis Ennenſibus flores, cum rapta fuit, ſtudioſe collegiſſe, & inde non ſemel ad Brutios noſtros e Sicilia tua, eruditiſſime GYBERTE, tranſfretaſſe Proſerpinam Nymphis Virginem comitantibus eadem de cauſa? uberrime enim locorum omnium floret regio illa, ubi ſerta primum fuiſſe inventa memoriae proditum eſt; ac multo poſt in Graecia Stephanos ab eorum auctore appellatos, cui ſi Diana comitem ſe adjunxit, argumentum eſt huic talia eſſe cordi; quorum tamen ſumme amat heliochryſum; quippe quem ferunt circum Deae caput a puella neſcio qua Epheſia olim fuiſſe involutum. Quin etiam Solis miniſtrae longaevae, ſed habitu virginali, formoſae, & caelibes Horae, non gravantur quotidie mane Caelo delabi, & amoeniſſimum Chloridos hortulum ingredi, ut florentes inde torques unaquaeque ſibi concinnet. Quae Zephyri feliciſſima uxor hujuſmodi Terrae divitiis dotalibus, ut earum domina eſt, ita praeter caeteras merito laetatur, nomenque ſibi indidem poſuit, & priori repudiato pro Chloride Flora voluit dici, atque e florum omnium varietate, quas coronas, priſci vocarunt Pancarpias, non eodem modo capitis contexit ornamentum. Ut nullis non ſolet arboreis foetibus Pomona frontem circumligare. Cujus multiformis maritus Etruriae quondam Deus Vertumnus, hujuſmodi

Mille habet ornatus, mille decenter habet.

Elegit & curarum ſedatrix, ac languentium inſtauratrix mortalium ſapientiſſima Nox, ſomniorum mater, ex omnibus unum papaver ſoporiferum. Proprium habet parturientium vocibus implorata dictamnum Ilithyja,

Ut facili vigeat ſervata puerpera partu.

Ariſtam quoque Ceres habet propriam. Secus agit Dea-

rum

rum omnium mitiſſima Pax, modo enim Phoebeam uſurpat, Veneream modo, aut Palladiam frondem, nonnunquam hujus ipſius legiferae Cereris ſpicea per urbes jam pacatas crinibus incedit circumnexis: datur & haec eadem Diis domeſticis ſpica. Stulta ac ridicula veterum religio! mene his ſaeculis natum eſſe dieſque, & noctes non laetari, rerumque omnium Opifici tantae benignitatis memorem non agere gratias aſſidue? etiam Ithyphallo non deerat coronatrix, quae illum e rebus hortenſibus variis contexto ſibi conciliaret ſtrophio. Verum ut ad Coronas redeam e frondoſis arborum ramis compoſitas, ſertis floridis antiquiores, habita eſt in hoc honore populus alba, quam nos Conſentini Grajae orationis participes leucam dicimus, ut pro arbuto comaron, ſchinon pro lentiſco, aliaque multa variarum rerum Graecis vocibus nuncupamus; haec inquam populus ab Hercule primum conſita ſui ſatoris caput caeliferum frondibus obumbrat bicoloribus, quam arborem Acheruntiam Dionyſio Proſerpinae filio, ejuſque Silenis, Satyris ſeneſcentibus, ac reliquis comitibus inſanis jucundam fuiſſe fabulatur Graecia; quae eoſdem marathro quoque docet ſolitos nonnunquam coronari. At fratres Tyndaridae, equorum alter ſtudioſus, alter pugnae, uno eodemque horoſcopo ſimul enati ex ovo Cycnaeo, unde in ſpeciem ovi oblongius paulo, quam latius Romae videtur Amphitheatrum in honorem Pollucis, quem pugilem fuiſſe nobiliſſimum narrat Graecia, illic enim variis modis decertantes undique ſedens ſpectabat populus; nam quemadmodum Circus, ubi curribus contendebant, Soli vecto indefeſſis, ac pernicibus quadrigis erat conſecratus; ſic ex eodem patre genitus, ſuo quodam jure Pollux Amphitheatrum ſibi vendicat. ignoraſſent Syracuſani, inquit Cicero, unius ſui civis acutiſſimi monumentum, niſi ab homine Arpinate didiciſſent: in qua quidem re, ut exiſtimo, non dede-

cuit

cuit patriae liberatorem plurimis, ampliſſimiſque honoribus functum, nec non de literis, & Latina eloquentia excellenter meritum, ita de ſe magnifice praedicare, aliis hoc idem non licet; eoque minus licet, quo longe major Syracuſis eſt domina gentium Roma, ac nihil fere eſt exiguum Archimedis ſepulchrum, ſi hujus Amphitheatri molem excelſam, ingentemque ſuſpicimus, tantum dico, non ut talia jactarem, ſed ut res cognitu non injucunda, nulli, quod ſciam, hactenus expoſita, ac per me nunc primum excogitata, multiſque & ingenio, & doctrina ornatis hominibus, quibuſcum eam communicavi, comprobata, aliis quoque ejuſmodi rerum ſtudioſis innoteſceret, me iccirco hoc attigiſſe. Revertor nunc ad juvenes ſemideos, geminoſque Tyndaridas: foliis illi pileum ſuum vinciunt arundineis, quae fluviorum plerique ſibi aſſumunt; iiſque quidam fecit ſtygium Portitorem caniciem ſuam implicuiſſe: non ſugit & haec Syringis amator Pan ſemiferus. Pinu praeterea Neptuno non ingrata propter Iſthmia, de quibus loco dicetur, cornua circum veſtiens: carpit & idem Faunus, ut inde ſe pulchriorem Nymphis oſtendat, florentes Ferulas, Silvano dilectas, aeque ac lilia, aeque ac cupreſſus conifera, quam omnibus notum eſt Plutoni placere Summano. Quaero & Saturni Senium non inornatum relinquere: poteſt is, ſi quando animum remittit, Cyrenenſes imitari, qui ficis recentibus ipſi falcifero agrorumque cultori Saturno ſacrificant circum caput undique pendentibus. Sed quid in coronae uſum non poterat venire? quando Maenades ſemideae Liberi patris comites furibundae capita jactabant anguineis nexibus viventibus circumvoluta: nam Parcae feruntur vitae, mortiſque arbitrae, niveis & ipſae velleribus comptae Bacchum e paterno femore editum anguibus cinxiſſe immanibus, pueri tamen ora ſine fraude lambentibus, unde in rei memoriam Bacchantium

Pars

Pars ſeſe tortis ſerpentibus incingebant.

Applicabant & Aegyptii Deorum ſuorum frontibus, ut immortalitatem ſignificarent, Baſiliſcum, mortis, ut volunt, expertem. E quatuor autem anni tempeſtatibus, quae olim velut numina, colebantur,

Veris tempora floreant comantis,
Aeſtas torrida ſit decora ariſtis,
Autumni caput ambiant racemi,
Laetas ſpernat Hyems anus corollas.

Proximum ab iis, quos in concilio Deorum veteres poſuerunt, locum ſibi ipſorum vindicant Sacerdotes, ut paſtor agrorumque cultor Romulus, fato tamen ut tantam Urbem conderet deſtinatus, in arvalis Sacerdotii religioſum inſigne Cereali uſus eſt corona, omnium, quot unquam Romae fuerunt, antiquiſſima, cujus ubique gentium geſtandae nec exules jus amittebant, nec ab hoſtibus capti, mors tantum illud, vitamque pariter auferebat. Ut quem Najadum formoſiſſima, Latina, & decima Muſa dilexit Egeria, alter Romanorum Rex Numa Pompilius Inuo ſacrificans fagineum ramum geſtabat intonſis crinibus obvolutum. Etiam per hunc feciales inſtituti pacis, bellique nuncii verbenis coronabantur. Et ſacrificuli Regis uxor Punicae virgulam in eadem corporis parte incurvatam ferebat, quem dicebant Inarculum; alii denique omnes id genus frondis in eundem ornatum ſumebant, quam Deo noverant, cui ſacrificabant, dedicatam. Hinc Anius Phoebi ſacerdos Anchiſae occurrit laureatus; quem Deum quoniam muſici venerabantur, eodem modo ornatus in mare deſiluit dithyrambi inventor eve&tus delphino Methymnaeus Arion. Sed quid ſingulos commemoro? cum Augurum univerſum collegium eadem uteretur laurea, quam ipſe ſummus augur geſtavit olim Apollo.

Sequuntur Poëtae praeſtantiſſimum ex eruditis hominum genus, atque antiquiſſimum, caeleſtique natu-

rae

rae propter id ipſum maxime conjunctum, unde non ſine quodam divinae mentis inſtinctu carmen effundunt; quamvis nunc, & ceterarum quoque omnium honeſtarum artium vix aliqua veſtigia apparent, ita veteris illius Poëticae ſemen prorſus exaruit. Cherili nunc tantum paſſim volitant, ſuique amatores ſine rivali multis carminum millibus editis inſani & ſuperbientes Suffeni, tum pinguis Caeſiorum turba, Aquini inſuper, Bavii, Maevii, & Cluvieni, ſaecli incommoda peſſimi poëtae, pauci admodum non inſulſi. Sed qui in Graecia quondam fuerunt, nobiliſſima primum illa & decantata omnibus certamina plurimum frequentabant, ut poëticis facultatibus in maxima hominum corona, ſic enim circumſtantium multitudo voce appellatur honorifica, cum ejuſdem doctrinae profeſſoribus contenderent, atque a Criticis praeter reliquos probati in artis, & ingenii ſui praemium coronam acciperent, nec aliam, quam qui in idem ſtadium veniebant, de more donabantur, ſive jactu diſci certarent illi, ſive curſu, quo ne pedis quidem veſtigium in arena relinquens omnibus, cum quibus contendit, praeſtitit Ladas; ſive ſaltu, aut caeſtibus, aut palaeſtra, quarum omnium artium gnari Quinquertiones a noſtris, a Graecis autem magiſtris Pentathli dicti fuerunt; iique non idem ubique capiebant, ſed alibi aliud, ut Olympiae victores oleaſtrum, vel ut Ariſtoteles inquit, oleam Jovi, in cujus honorem ludi fuerunt inſtituti, ut dictum eſt, gratam, quam philoſtephanum vocabant. Fuit inter Olympionicas nobiliſſimus Milo ille Crotoniates vicinus noſter, & Glaucus Caryſtius, qui cum agrum araret, ac vomerem contractae manus ictu pro malleo in ſtivam, unde ferramentum illud ruſticum exciderat, intruſiſſet, vim, ac duriciem corporis pater miratus in Olympia adoleſcentem adduxit, ubi quinquies, viciesque viciſſe perhibetur, ut qui Iſthmia Neptuno

con-

conſecrata vinceret, pinu, e cujus materia vaſtae fiunt volucres velis natantes pelagivolantibus, crines velabat; nonnunquam tamen ibidem dabatur victori apium, ludis deſignatum Nemeaeis, quia infans Archemorus, cujus memoriam Graeci celebrabant, anguis morſu ſub apio latentis dicitur interiiſſe, ubi, quemadmodum in aliis quoque ſacris certaminibus, non robuſtos tantum, lacertoſoſque pugiles, ſed ingenioſos, atque eruditos poëtas coronari ſolitos, Linus etiam oſtendit Virgilianus, floribus, atque apio crines ornatus amaro. In Pythiis autem eſculus ante, Apollinis deinde arbor pomis ex ejuſdem templo ſumptis, ac circumpoſitis victorem declarabat. Sed praeter haec quatuor aliorum omnium nobiliſſima certamina, Minervae ludos ſpectabat Athenienſium civitas, deae frondibus conſecratis coronata omnis: quorum aemuli, atque hoſtes Lacedaemonii propter Tyndaridas ſuos, de quibus locuti ſumus, ex arundine minime omnium ambitioſas, pro ſe quiſque coronas accipiebant, ut myrteam, qui Argis Junonia viciſſe praeconis voce pronunciabatur. Quin & Populus Romanus laureatus omnis collata etiam ſtipe ludos ſpectabat Apollinares. Ex illis igitur quatuor Graeciae ludis omnium celeberrimis natum fuit, ut Poëtae quoque hujuſmodi capitis honorem aſſequerentur; nam quia excellentiſſimam humani corporis partem, eandemque pulcherrimam, ac divinae rationis, ut Plato ait, ſedem caput honorat, inde dicta eſt corona litteris praepoſtere, quod ſaepe fit, collocatis; itaque olim nonnulli notam flatilem huic verbo adhibebant. Sunt tamen, qui a choro deductam velint. Quod tanti veteres illi faciebant, ut ceteris rebus omnibus poſthabitis, ac hominum conſuetudine ſua ſponte privati ſeceſſus aliquos, & ſolitudines peterent; quo ſine interpellatore aliquid fingerent, unde victores domum reverterentur, quod ipſum omnibus quaerebant ſaecu-

ſaeculis teſtatum relinquere. Quamobrem exultant aliqui, & in tragoediarum ſuarum fine Victoriae quodam modo gratias agunt, eamque ne ſe relinquat, anxie orant. Quinquies tantum viciſſe ferunt Euripidem, cum fabulas centum praeter illas victrices edidiſſet; nam unius tragoediae nuncius exoptatus, quem animi dubius, paviduſque expectabat Sophocles, tanta laetitia ſenis animum repente corripuit, ut inde hominem dicant anima deſtitutum. Horum autem ſimiliumque praeclara ingenia aurigarum magis, quam muſarum amicus Nero aemulatus coronam non carminis tantum, ſed latinae etiam orationis per Conſulares ſibi conceſſam venerabundus recepit, ne in muſicis ſolum excelleret nobilis Hieronices geminis eodem triumpho oneratus coronis, quarum alteram Olympicam capite geſtabat, alteram dextra manu Pythiam. Hedera tamen prae caeteris, ac laurus poëtis data eſt; amarunt & iidem florum omne genus, laneamque, & quernam: quibus autem poëſis erat amatoria, illos non dedecebat myrtus. Sed olim optimi quique doctiſſimorum conſenſu his inſignibus decorati erant, nunc contra, ut quiſque ſtultiſſimus eſt, ita hoc idem temere affectat; recte quidem ſe res habet, ſi ignavi homines non naturae & ſtudio, ſed Principum beneficio poëticae quoque gloriam acceptam referunt.

Reſtant Militares ipſorum, unde vocatae ſunt, militum, ac ducum felicitatibus, praeclariſque virtutibus praemio conſtitutae, & alterae Geniales convivarum voluptatibus accommodatae; illas prius attingam, atque ex iis ipſis ante alias omnes Triumphalem legionum ductoribus lege decretam, qui non minus quinque hoſtium millibus uno praelio concidiſſet, ex arbore fiebat haec Delphica baccis onuſta grandibus, ſemper odora, & virenti, eademque caedis, & ſcelerum expiatrice, ac ſola Jovis fulminibus inviolata, iiſque de cauſis omnibus triumpho deſtinata, o

lau-

laureto capiebatur; haec Aventini in ornamentum illud triumphale, ubi nunc nemus habent denſiſſima, ac pulcherrima lauru conſitum Marius Maphaeus optimus & jucundiſſimus Antiſtes, literarumque cum ſumma gloria ſtudioſiſſimus, ac meus Centelles non minus in poëticis, atque in oratoriis facultatibus excellens, quam in uſu rerum, & in omnibus vitae officiis, ad quas praeclaras artes ut ſemper toto pectore incubuit, ita in iis nulli prorſus concedit. Quinquies honorem hunc conſecutus fuit Romanorum clariſſimus Caeſar Dictator, quoties neſcio an alius praeterea unquam; qua Senatus decreto conceſſa uſus eſt laurea, per cauſam celandi, quo offendi ſimulabat, calvitii, quaſi perpetuo de victis, ac ſervientibus inimicis triumpharet; quo tam eleganti commento unus calvus omnes cives voluit calvi, ut olim loquebantur Pacuvii, & Lucilii, ipſeque antiquitatis amator ad reprehenſionem uſque Salluſtius rerum graviſſimus explicator; gliſcentibus tamen in civitate Romana divitiis, ex auro fiebat haec coronario Etruſca nomine, quam ſervus eodem, quo Imperator curru vectus triumphali, pone ſuſtinebat, militibus etiam conſequentibus laureatis, aut ſerta geſtantibus; citharoedorum inſuper, ac tibicinum collegium coronis nonnunquam aureis exornatum non ſine modulatis carminibus triumphum comitabatur. Hunc autem qui bellici laboris & periculi expertes procurabant, ut ocio, ac pace laeti fruebantur, ita pacis inſignia ſumebant, victoremque in Capitolium proſequebantur oleagina coronati, quam turmae equeſtres idibus Julii capiebant. Erat & quidam minor triumphus, cum hoſtis ſine caede vinceretur, aut res non magni forent momenti; e virgultis facta haec myrteis dicebatur Ovalis, tanquam pugnaſſet illic pro Marte ſuo tot bellis defeſſo Venus ipſa ſine ſanguine. Fuit & quandoque ex oliva ovantibus data, ut e myrto triumphantibus. Reddebatur & ſua

vel

vel qui in hoſtium muros, aut in caſtra primus commilitonum evaſiſſet, vel qui maritimo praelio commiſſo in adverſas ante alios ſocios naves armatus inſiluiſſet, ex auro conflatae habebant hae aut muri ſpeciem expugnati, aut valli, aut navium; ex quo Murales vocatae fuerunt, Vallares, quae & Caſtrenſes, ac Navales, alio etiam nomine Roſtratae a nonnullis dictae. Pia erat Civica, nec ingloria, qua, qui civem, unde nomen nacta eſt, ab hoſtibus circumventum magis alterius, quam ſui capitis memor liberaſſet, magnificis verbis pro concione laudatus a duce ſuo donabatur. Querna erat illa, glandifera, toriſque ſaepe, ut multae praeterea, diſtricta tumentibus, quia in promtu erat militibus ubique fere proveniens arbor, non Jovi modo, ſed ejus quoque Germanae, atque Uxori urbium praeſidibus dedicata. Arcadum etiam, ex quibus nonnulla ſumſerunt Romani, amica; ut enim hominum antiquiſſimi fuerunt illi, ita haec plantarum omnium prima eſt nata; fuiſſe tamen quandoque perhibetur Ilignea, etiam Eſculea, hanc ſervato parente non minus modeſtia, quam pietate, & fortitudine clarus adoleſcens Scipio Carthaginienſium domitor repudiavit. Hac aureae illi, quae Demoſtheni adjudicata fuit, anteferenda dignum L. Gellius Cenſorius Ciceronem frequenti Senatu pronunciavit, patefacto, ac ſtatim oppreſſo ſcelere Catilinario. Quater, deciesque conſecutus fuit eandem Sicinius Dentatus, Achilles cognomento Romanus, quod genus honoris cum Q. etiam Cotio commune habuit; factitabant enim hoc veteres, ut quem in aliqua re excellere viderent, nonnunquam laudis, aut contumeliae cauſſa antiquum ei, atque celebre nomen imponerent; ut Ruticellus quidam mole, ac robore corporis admirandus, Hercules cognominatus fuit; & ſapiens ille Cato Cenſorius, ut tenuis erat tunc in urbe facundia, cum poſteris jejunus quaſi, atque aridus

ejus ſermo judicaretur; Demoſthenes tamen Romanus a ſuis aequalibus dictus eſt. At Lucullum Pompejus, a dicacibus Agamemnon ipſe appellatus, cum ſuccifis rupibus quaſi cujuſdam mediterranei maris ſpeciem terras influere, ac longe rurſus in altum ingentes aedificiorum moles progredi videret; Xerxem togatum vocabat aemulum ſuum; ut bipedum teterrimus, optimo tamen parente natus Caligula Liviam Auguſtam Ulyſſem ſtolatum, quaſi vafram, aſtutamque, & veteratricem. Verum ut unde egreſſus ſum, eo me recipiam, militarium omnium praeſtantiſſima erat Graminea non gemmata tantum, vel aurea, ſed ipſa etiam multo nobilior triumphali: hac univerſus exercitus obſidione receptus ducem, liberatorem ſuum tanti beneficii memor gratias ſuppliciter agens exornabat, gramine indidem in coronam decerpto, ubi obſeſſus fuerat ipſe, ſive vallo, caſtriſque incluſus, ſive murorum ambitu. Herbam vero victoribus dari ſolitam, ita notum eſt, ut tritum factum ſit inde vetuſtate proverbium; nullam praeterea ſibi aliam bellator Deus ſeligebat ex omnibus, niſi hanc ipſam contortam e gramine, ut qui eam conſequeretur, velut Mars alter veneratus exquiſito quodam, ac divino afficeretur honore. Decreta fuit haec, ut de reliquis in praeſentia taceam, per Senatum, Populumque Romanum, atque Italos omnes ſummo ſtudio conſentientes, cum ejecta tandem ex Italia eſſet Carthaginienſium diritas, Fabio Maximo Dictatori Verrucoſo, quem a moribus placidiſſimis, fortitudine & prudentia, Oviculam, Scutumque, & Romanorum Annibalem virtus excellentibus elogiis cognominavit. Invidia vero contumelioſa, quae illuſtrium virorum fulgore uritur, tanquam ſi timidus fuiſſet, Cunctatorem, & velut Annibalis pediſſequum dictitabat. Qui animorum ad capeſſendas virtutes ſtimuli jam pridem prorſus retuſi, ac fracti interierunt. Reges nunc tantum depoſito,

quo

quo prius vincti erant, diademate, hujuſmodi decus a reliquis privatis, ac principibus ſecernit, ipſumque Caeſarem tribus inſignem coronis, quarum primam e paleis contextam flaventibus apud Alexandriam Ciſalpinae Galliae urbem, velut populis ſignificans ſe frugum ubertatem illaturum, accipit. Riget altera e ferro conflata virtutem ejuſdem arguens, ac juſtitiam, eamque Mogontia, quam Modoëtiam nunc dicunt Inſubriae oppidum celeberrimum, gaudet Caeſari dono dare. Ex auro coelata effulget tertia, nil niſi ſyncerum promittens, opulentum, ac magnificum; eaque idem ornatur Imperator Romae Pontificis Optimi, Maximique manibus, qui triplici quoque, atque aliarum omnium prima venerandus ipſe Pontifex corona auro, gemmiſque plurimis pretioſiſſima geſtatur. Quae ſi quempiam maxime decuit unquam, hunc certe Pontificem Sanctiſſimum, ac Potentiſſimum Clementem VII. decet, fato nobis propitio his temporibus datum, ut religionem noſtram ſuae fidei, & ſapientiae commiſſam ab omni impiorum macula puram, quod jam facit, inviolatamque defendat. Verum ne in mora ſim, in conclave jam dudum coactis, & ſitientibus convivis, corollae ſunt & iis, ut propoſui tribuendae faſciolis lemniſcatae, aut Phylira. Myrto plurima utebantur illi, vel ſimplici, vel roſis intermicantibus puniceis, etiam frontibus potabant hederatis, aut floribus illas variis ambientibus, e quibus plurimi fiebant roſalia. Sic enim ſtrophia dicebantur e ſolis tantum foliis roſarum ſuaveolentibus connexa poſt pactiles coronas inventa, ac ſutiles, Saliorum caeremoniis, epuliſque ſolemnibus deſtinatas; amabilis erat inter Roſas autumnalis, Coroneola a frequenti coronarum uſu nuncupata. Lilium praeterea in hoc idem legebatur, & Viola, Ion graece dicta, ab Io, ut eſt in fabulis, Inachi filia, cujus eximiam ſpeciem in vaſtae pecudis formam ab Jove Junonis

L 2 ira-

iracundiam metuente commutatam, ac longinquos errores Tellus omniparens miſerata, nuſquam antea viſum hunc florem in ejus pabulum divinitus ſummiſit. Sane Roſa, Lilium, & Viola, ut deinceps poſita ſunt, e ceteris omnibus principatum obtinent. Inferebatur & in triclinium Caltha Luteola, litteratuſque Hyacinthus, & Pallens floribus aureis Geniſta, Rhododendron, Zizipha, Cyclamini flos coloſſinus, Ambroſia Lilii ſpecies ex Alexandri ſtatua ſic enata in Co inſula, ut caput quodammodo tanti ducis ultro videretur ornare. Cappadoces ea imprimis coronabantur. Flos praeterea Narciſſi, cujus ſepulchrum a Boeotis taciturnum olim appellatum viatores indicto ſilentio de more taciti praeteribant. Item Anemone, ex Adonidis ſanguine genita, floribus nunquam niſi flante vento hiantibus, adhibebatur, & Iacha odore commendata jucundo, Struthium, Acis, ſpinae arboris flos, Serpyllum inſuper, Sampſuchus in Aegypto copioſiſſime proveniens, Anethum etiam Alcaei, Sapphuſque carminibus commemoratum; ad haec Siſymbrium, & quem Jovis flammam, floremque aliter dicunt Coronarium, Apium, atque, ex Helenae lacrymis natum, Helenium, necnon Caſiae erat locus Abrotono, Thymo apibus gratiſſima, Origano, Trifolio, Meliloto, quae quoniam ex ea plurima fiebant ſerta, ſertula vocata fuit Campana; non excludebatur ex his Papyrus, Coronaria ex hoc dicta; tum Helix Alexandrinis olim ſtudioſe convivantibus admodum familiaris, apud quos in uſu fuit coronae genus ridiculum, aviculis circum devinctis potorem aſſidue unguiculis, morſuque vellicantibus, atque alarum plauſu, occentuque ad aures undique obſtrepentibus, ut ſomnum quo ebrii urgebantur, averterent. Quin e Vitice coronam necti ſolitam auctor eſt Anacreon, addidit & Cratinus Taxum; ad extremum quicquid nares, aut oculos ſuavitate afficit, in ornatum hujuſ-

modi

modi veteres convertebant, quo non caput ipſum modo, ſed cervices, ac pectus vinciebant; illud praetereundum non eſt, conſertas e floribus corollas ab antiquis vocatas fuiſſe Servias, quarum ubi prae hyemali frigore nulla dabatur facultas, e laminis eas capiebant corneis, colore, ut pulchriores eſſent, depictis, unde non hibernae modo dictae fuerunt, & Aegyptiae, nam inde id genus coronarum miſſum fuit, ſed Corneae; etſi eburneae viderentur aliquae, etiam ligneae; afferebantur, & e Nardi folio, atque e ſericis veſtibus unguento madentibus probatiſſimae, unicus tamen Amarantus aqua madefactus, atque inde redivivus hibernas convivis ſuppeditabat. Hanc veterum conſuetudinem nequitiarum, ac libidinum genitricem non fuiſſe a Cenſoribus morum magiſtris funditus ſublatam, mirum poteſt videri; cum praeſertim iidem his multo leviora ſeveriſſime caſtigarent. Fuerunt & alia Coronarum genera, quas licet Salutares dicere, quando ex iis humana valetudo aliqua ex parte juvatur, ut quae capite impoſita ſanguinem ſiſteret defluentem Graminea, ut Crocea, atque Hederacea, quarum utraque ſtuporem tollit ebrietatis, ut quam ad fulmina pavidus induebatur Tiberius. Jam vero frons Bacchare obligata faſcinum perimit; ad aeſtimationem autem, & gloriam conferre crediderunt, quae fiebat ex Heliochryſo; at e Smilace, qui & Nicophoros vocatur, impari foliorum numero facta capitis medetur doloribus: erat & qui in ſpiram volutus verticem circuibat Ceſticillus intortus quidam circulus ad onera ferenda accommodatus. Addantur & his contumelioſae, velut ex vellere compoſita adulteris ad magiſtratus arreptis, ut mollicies argueretur, deſtinata. Servi quoque, & captivi eodem modo ſoliti erant venire: unde M. Cato in eo libro, qui inſcriptus fuit de Re Militari, populum hortabatur bene re geſta potius coronatus Diis Caeleſtibus ſupplicaret, quia victus

ſub corona turpiter venderetur. Ferebat & nova nupta ſub amiculo ſerta Verbenis commiſta, herbiſque praeterea aliis olentibus manu ſua de more collectis; in Latio id fiebat; at in Boeotia comam aſparagis ſponſa vinciebat, ut quemadmodum ex aſperitate ſuavitas percipitur, ſic ex illo conjugii primo congreſſu non admodum, ut videtur, amico, vitae communitas naſcitur jucundiſſima. Quam vero pudicitiam veteres laudarent, ex hoc etiam facile videtur, quod quae ſemel tantum nupta non ſuſtinuiſſet, poſt mariti exceſſum rurſus matrimonio copulari, coronata adrogum efferebatur. Omnino, ut principio dictum eſt, plurimus erat hic ornatus, nec hominibus modo, ſed ipſis etiam victimis accommodatus: quin & annuis laboribus perfuncti, & in agrorum etiam luſtrationibus coronati boves ſolebant ſtabulari; equi inſuper in ſtadiis victores, ac triumphales hoc honore non carebant; cujus quadrupedis immolati caput panibus cingebatur in campo Martio ob frugum eventum. Res quoque ſenſu privatae complures redimitae videbantur, ut poëmata, ac litterae victoriam nunciantes lauro circumdatae, ut lictorum faſces, haſtae, trophaea imprimis. In quorum coniferis, & galeatis capitibus victoriae videtur imago coronas ſuis manibus imponere. Arae etiam Deorum immortalium, eorum rurſus, atque illuſtrium virorum ſimulacra, inter quae maxime eminebat Coloſſus Rhodienſis, quique Romae ſpectabatur capite, ut ille, radiato: unde Romanorum quidam Imperatores, quaſi ipſi quoque Soles eſſent, ac virtutibus cuncta colluſtrarent, numiſmata percuſſerunt, ubi capita ipſorum videntur cincta radiis ſolaribus: etiam ſepulchra erant Velleribus niveis & feſta fronde revincta, quae uſque adeo prae reliquis ſertis Apio cingebantur, ut ii dicerentur egere Apio, quorum ſaluti nullum plane eſſet remedium. Theſſali tamen

men Achillis ſui monumentum Amaranto coronabant, ut oſtenderent quemadmodum flos ille nunquam interit, ſic ejus famam perpetuo duraturam: ad hoc ipſe reſpexi, cum de Achilie loquerer in Heroicis Epitaphiis, quae plurima ſingulis jampridem luſi carminibus,

Heroum jacet hic flos immortalis Achilles.

Nam quis neſcit redimitum pincernam pocula diſcumbentibus miniſtrare ſolitum redimita? atque in ſacrificiis caniſtra ſertis florentia a ſacerdotulis geſtari capite non inornato? Umbracula etiam eodem modo ad pluvias, Soliſque ardores defendendos diſtendebant, nec non & Termini numen, ſive lapis fuiſſet ille, ſive ſtipes: ſed praeter caetera Januae florebant, vel Principum, nam Querna ſuſpendebatur in aedibus Caeſarum; vel puellarum, ſiquidem earum limina ſolitus erat olim operire floribus, & ſertis lacrymans excluſus amator. Venit nunc in mentem Athenienſium conſuetudo, e quibus qui filiolo augeretur, Olivae ramus in orbem convolutus, ac ejus poſtibus ſuffixus innatum illic eſſe infantem praetereuntibus declarabat, videlicet agrorum volebant cives ſuos eſſe cultores, lucubratoreſque, & Minervae, Pacis inſuper, ac Victoriae ſtudioſos. Virgunculam vero editam Lana ibidem ſignificabat ſuſpenſa, tanquam nata eſſet illa ad lanificium. Quid naves? nonne puppibus gaudebant per Maris undas remo, veloque labi coronatis? cujuſmodi fuiſſe eam tradunt, quam Philoſophorum omnium eloquentiſſimo obviam honoris gratia miſit Syracuſarum Tyrannus: nam circum aedes coronam aedificari ſolitam paſſim videmus. Nunc autem Regum inſignia, ſive picta ſint illa, ſive coelata, aut expreſſa coronantur. Oppida etiam ipſa, urbeſque, & arces excelſae, quaſi Reginae murorum, ac parietum coronis circumdantur perpetuis.

Sed haec, non ignoro, potuerunt diffuſius ex-

plicari, & alia praeterea non pauca anneŝti. Verum ne te, humaniſſime Gyberte, plurimis, ac maximis negotiis diſtentum longiori, quam deceret, ſermone remorarer, finem ſcribendi conſulto feci. Nam piaculum, opinor, eſſet rebus his, quas, ut dictum eſt, quaſi per ludum congeſſimus, tuoque Jovio inſigni hiſtorico, viro varia rerum cognitione ornatiſſimo, deque me optime merito adhortante edidimus, Illius Coronam adjungere, ad cujus ſanctiſſimum ſimulacrum, Potentiſſimi Reges, ac Caeſares, ipſique ejus Vicarii Pontifices ſummi, ſuis aureis, gemmeiſque coronis, ac tiaris abjectis ſuppliciter procumbunt, unumque ex omnibus verum confitentur, conclamantque Regem, ac Dominum; tantum dico, quemadmodum illo eodem puero divinitus enato, ſaeculorum antiquiſſimo, ſenſim deſierunt mortales natale quiſque ſuum, ut ſolebant, celebrare, ſed unius tantum, per quem vere nati ſumus, ortum cuncti veneramur. Utque una pro nobis omnibus victima innocentiſſima crudeliter immolata, nullae ulterius pecudum ſanguine foedantur arae; ſic poſtquam frutex ille omnium, quot unquam terra protulit, feliciſſimus, aculeis armatus horrentibus, Regis adeo excelſi ſacratiſſimum caput circumpoſitus cruentavit, reliquae omnes ex aliorum capitibus areſactae quodammodo defluxerunt coronae. Quem regem nos eſſe ipſius beneficio nactos, grates eidem ſemper agendae ſunt, Optime & Sapientiſſime Gyberte.

FINIS.

ANTONII THYLESII

CONSENTINI

DE COLORIBUS.

Digitized by Google

ANTONII THYLESII
CONSENTINI
DE COLORIBUS.

DICAM aliquid de Coloribus in hoc libello : non quidem unde conficiantur, aut quae ſit eorum natura : neque enim Pictoribus haec traduntur, aut Philoſophis; ſed tantum Philologis, qui Latini ſermonis elegantiam ſtudioſe inquirunt. Scribam omnia breviter & accurate: ac rerum ipſarum nomina, quo ſtatim Colores intelligantur, ſingulis apponam.

CAERULEUS. CAP. I.

EXordiar primum a Caeruleo : quo niſi Natura ipſa maxime gauderet, nunquam profecto Deorum hoc domicilium, continuo circum complexu cuncta coërcens, ſpecie tam laeta univerſum exhilaraſſet : reliquos deinde contexam. Caeruleus igitur dictus quaſi caeluleus, ut ex voce ipſa apparet, proprie color eſt Caeli, ſed ſereni : id quod Ennius reſpiciens, *Caeli*, inquit, *caerula templa* : atque inde ab omnibus mare appellatur caeruleum, refert enim illud eundem, quem ab ipſo ſuperne accipit, Caeli nitorem. Quare ex antiquis nonnulli, ut alterum Homeri opus, propter caedes, de quibus illic Poëta loquitur, colore exorna-

ornabant ſanguineo : ſic Odyſſeam, ubi Ulyſſis idem maritimos ſcribit errores, membrana contegebant caerulea. Sed quoniam caerulei quaedam ſpecies eſt pene nigra, ut quod Indicum dicitur, eoque olim veſtitu Graecae mulieres amictae producebant eorum funera, quorum in Caelum animas migraſſe caeruleum exiſtimabant, idcirco pro triſti nonnunquam capitur, ut apud Virgilium, puppis caerulea Charontis. Imberque, & Sol caeruleus. Cucumis autem caeruleus, nam id quoque legitur, melopeponem ſignificat, qui inter cucumeres multa, enim ſunt eorum genera, pulcherrimus eſt. Nec tantum caerulei videtur particeps, ſed ipſius quoque Mundi gradus, introrſum verſus, attenuatos oſtendit, ut hoc olim de eo luſimus:

Quis neget e Caelo miſſum, formamque, coloremque,
Atque gradus Caeli, nectaris atque refert.

eſt enim ſapore ſuaviſſimo. Sine ulla dubitatione, quod nos Caeruleum, Graeci dicunt Cyaneum, in quorum etiam commentariis Lazurion invenio. Aſcribitur huic generi, qui Venetus olim, nunc vulgo Blavus nuncupatur, color ex factione Circenſi valde nobilitatus. Fuerunt autem colores in Circo, praeter hunc Venetum, Roſeus, Albus, & Praſinus: quibus Auratus poſtea, Purpureus, & Luteus additi ſunt. De iis loco dicemus.

CAESIUS. CAP. II.

Caeſius vero ſi dictus eſſet, ut doctiſſimi viri monumentis olim tradiderunt, quaſi caelius a Caelo, eadem foret in Caelo, & caeſio diphthongus. Conſtat autem eſſe in iis vocibus diverſam; nihil praeterea differret a caeruleo, quando id ut oſtendimus, a Caelo deductum eſt: differt autem ſine dubio, vel ex ipſius Marci Tullii auctoritate, cujus haec ſunt verba, in primo de Natura Deorum libro: *Caeſios oculos*

culos Minervae, *Caeruleos eſſe Neptuni*. Ad haec, non, quemadmodum legimus Caelum, Mare, Veſtem, Florem caeruleum, ita legimus Caelum, Mare, Veſtem, Florem Caeſium: ſed oculos tantum Caeſios, veteres dixerunt, quibus ineſt fulgor quidam viſu horrendus. Unde exiſtimo, ſicut Caeſar, & Caeſo dicuntur a caedendo, ita Caeſium a caede nominatum eſſe, ut qui Caeſius ſit, caedem quodammodo oculis minari videatur: qualis praelio gaudens & caede dicitur fuiſſe Minerva, ex quo illa ab antiquis vocata fuit, ut ego arbitror, Caeſia. Significat hoc M. Cicero, ubi de Catilina ait: *Notat, & deſignat oculis ad caedem unumquemque noſtrum*. Hinc, qui oculis ad caedem ſenatores deſignabat, Caeſius erat. Cujus etiam oculos Salluſtius inſignis hiſtoricus fuiſſe tradidit foedos, ideſt Caeſios. Cujuſmodi memoriae proditum eſt Neronis quoque oculos fuiſſe, quod ipſum non leve fuit argumentum tyrannicae crudelitatis. Quin a Terentio Caeſii hominis facies dicitur cadaveroſa, hoc eſt immanis, & ſaevitiam arguens, qualem ſicarii prae ſe ferunt, & carnifices: quamvis alii parum erudite cadaveroſam pro ſublivida expoſuerint. Enim vero leonis oculos ſi quis inſpexit, qualis ſit hic color, intelligit. Micant illi, ut ſtudioſe ipſi prope conſideravimus, velut ignis penitus flagrans. Dicitur color hic graece ab omnibus Glaucus, quod verbum longo jam uſu Latini Poëtae ſuum fecerunt. Latius tamen patet Glaucus: nam praeter oculos noctuinos, quos, ut avis ipſius graecum nomen declarat, omnes Glaucos eſſe confirmant, multa quoque dicuntur Glauca, ut Ulva paluſtris herba: ut Salix, cujus cum frondes, tum multo magis cortex in ramis, praeſertim anniculis, nitet hoc colore. Quem laudat Virgilius in equis, eoſque noto carmine Glaucos appellat, communi Italorum lingua Bajos nominatos. Nam Spadices honeſti ab eodem Poëta ibidem vocati, il-

luſtrio-

luſtriores ſunt aliquanto, Baji & ipſi, ſed Clari, vulgo nuncupati: atque ii duo aliorum omnium maxime probantur colores in equis. Ulva igitur, ſalix, quas idem Virgilius glaucas dixit, equi item ſpecies optima, caſtaneae, etiam nucis tunica, aliaque multa, praeter leonis, ac noctuae oculos, colorem Glaucum oſtendunt. Sed ut unde diſceſſi, redeam, quando Caeſius color tantum eſt oculorum, videndum eſt, ne is ſit potius quem Ariſtoteles Charopon vocat. Sic enim ab illo dicitur leo ab oculorum ſaevitia, quem Catullus Poëta doctiſſimus Caeſium appellat: Unde Hercules cognomento dictus fuit Charops, quaſi iracunde intuens. Nam Chara graece, ira quoque dicitur latine: & ex eodem, ut puto, horrore Charybdis nominata eſt, & Charon: de quo cum inquit Virgilius,

Stant lumina flamma,

Caeſium voluit ſenem illum horribilem, ac dirum ſignificare. Quamvis non neſciam, Charopon ab aliis aliter quoque exponi.

ATER. CAP. III.

Horribilis etiam color eſt Ater dictus, omnino velut anthrax, ideſt carbo: nam proprie eſt carbonis extincti. Quare ſcite, ut omnia, Terentius tam excoctam, inquit, reddam, atque Atram, quam eſt carbo. Et inde a Virgilio cinis dictus eſt Ater, & favilla Atra. Sanguis praeterea caloris, atque coloris ignei particeps, effuſus ac frigefactus amiſſo rubore, tanquam in carbonem mutatus, Ater ab omnibus vocatur. Dicitur & mors Atra, quia cadaver extincto calore illo vitali, quo corpus alitur, Atrum relinquitur, ut eſt carbo, quae mihi perquam elegans videtur ſimilitudo. Quid quod dies Atri eadem de cauſſa dicti fuerunt? Qui enim luctum afferebant, carboni-

bus,

bus, ut contra dies laeti ſcrupis ſignabantur gypſeis; ex quo Horatius ait,

Creta, an Carbone notandi.

Differt in hoc a colore nigro: quod ut omnis Ater eſt niger, ſic non omnis niger eſt Ater: horrendus eſt hic, triſtis, viſu injucundus, lugentibus accommodatus; ille contra nonnunquam lepidus ac venuſtus: ut humani oculi ſunt complures, quos nemo Atros diceret, ſed nigros, iiſque tamen nihil majori cum voluptate ſpectamus. Vocabatur autem Ater ab antiquis etiam Anthracinus, idemque Furvus. Quibus longe minus ſunt nigri, Lividus, & Fuſcus. Alter ex gravi corporis ictu proveniens deformitatem habet. Unde invidi aliorum bonis, velut verberibus laniati, & idcirco exangues, Lividi nuncupantur. Alter non inſuavis, & in homine perſaepe laudatur. Qui tamen ſi modum excedit, ac maxime Fuſcus eſt, & quaſi nigreſcit, Preſſus dicitur: ut quae aliquandiu ſub prelo veſtis preſſa, nimium coloratur. Legimus etiam equi colorem Preſſum. Secus vero faſciolae Coloriſcae dictae fuerunt, quae non ſaturatae, ſed vix colore aliquo illitae e coronis dependebant. Eſt autem forma diminutiva, ut Lyciſca, Syriſca. Aquilum veteres hunc Fuſcum a colore aquae vocarunt, qui inter nigrum, & album, id quod Plato etiam docet.

ALBUS. CAP. IV.

Est autem Albus color puriſſimus, quocirca ad animum translatus pro ſyncero capitur; is nullibi quam in nive, clarior eſt, quam tamen Atram eſſe Anaxagoras affirmabat. Sumitur pro Pallido, unde timor Albus legitur, & metu exalbuit. Quam ob rem Romanae mulieres quondam funera ſequebantur in veſte Alba, tanquam mortui quem efferebant, colorem referrent.

Elucet

Digitized by Google

Elucet Candidus, atque oculos delectat. At Candens non hoc tantum eſt, ſed pro ignito accipitur. Itaque Veneris humeros recte dixeris Candidos, vel Candentes. Ferrum quod a Marito tunditur, non Candidum eſt, ſed Candens. Ejuſdem generis eſt Canus, qui etſi ad alia transfertur, proprie tamen eſt capilli, & barbae ſenilis. Naſcitur equus nonnunquam canus atque albineus, non idem qui & candidus, aut albus, ſed hujus non expers. Eſt & color albi, nigrique particeps, a Graecis inde Leucophaeos, voce jam a noſtris uſurpata, vocatus. Genus eſt id coloris nativi, non enim inficitur, ſed ovis ipſa ſic natura quaſi pingitur. Hunc ſibi ſecta ſacerdotum ſumſit ſanctiſſima, qui nulla tunica linea penitus induti, pro cingulo reſte ſe vinciunt nodoſa, ac ligneis tantum calciamentis uſi, precario victum quaeritant.

PULLUS. CAP. V.

Qualis vero ſit Pullus, oſtendit terrae ipſius color: major enim illius pars Pulla eſt. Itaque quoniam ea mortuis injicitur, voluerunt veteres, ut qui lugerent, Pullis pallis, terrae ſimilibus, eſſent amicti. Dorſum etiam leporinum proprie eſt Pullum: quamobrem Naturae ipſius doctus magiſterio, terram recentem ab aratro metu pavidus quaerit ille, ibique nonnunquam ſtratus, nullaque re abditus, venatores, caneſque ipſos praetereuntes, ac ſagaciter prope omnia perquirentes, coloris tantum beneficio ſaepiſſime latet: &, ut in quodam epigrammate de lepore diximus,

Quem fuga non rapit ore canum, non occulit umbra,
Concolor immotum ſub Jove terra tegit.

Nulla arte aut impenſa color hic paratur. Natura enim ſic provenit, unde Nativus quoque vocatus eſt, diver-

diverſus ab eo de quo locuti ſumus. Jamque nos Conſentini, apud quos multa antiquitatis veſtigia apparent, ſiquidem & Praeficae, ut quondam, mortuos laudant, & Silicernium in uſu eſt, ac nemo ſine ſuorum oſculo ſepelitur, utriuſque ſexus veſtimentum funebre, Nativum dicimus: quamvis atrum ſit illud, & in mulieribus matrimonio junctis Cyaneum, quo Graecae, ut dictum eſt, olim in funere utebantur. Idem quoque Hiſpanus vocatus eſt, & Baeticus, etiam Mutinenſis. In iis enim locis id genus lanae videtur. Eſt autem Pullus nomen, ut reor, diminutivum a Puro, velut a Rara veſtimenti genere fit Ralla, ab Opera Opella, a Terra etiam Tellus: ut lana pulla ſit pura, nullo alio colore infecta, ſed ſuo tantum & ingenuo contenta. Colorias, hujuſmodi veſtes per ſe coloratas aliqui dixerunt. Poſuit hanc vocem Auguſtinus in ſuo teſtamento, ubi haec verba legebantur: Gauſapes, Lodices purpureas, & Colorias meas. Atque indidem, ut ſentio, dicti ſunt Pulli equorum, aliarumque pecudum, quaſi pura, nulla adhuc libidine aut labore violati. Sunt huic Pullo ſimillimi color Impluviatus, dictus velut fumato ſtillicidio implutus: & Suaſus, qui Inſuaſus quoque vocatus, lutum refert. Eſt autem Suaſus e ſtillicidio etiam factus fumoſo, in veſtimento albo. Quare haud dubitanter non alius eſt quam Impluviatus: quamvis aliqui tradiderint colorem omnem, qui fiat inficiendo, Suaſum dici, quod illi quodam modo ſit perſuaſum, in alium quemvis colorem ex albo tranſire.

FERRUGINEUS. CAP. VI.

Ferrum longo ſitu rubiginoſum, facile oſtendit colorem ab ipſo appellatum Ferrugineum: agit enim is, id eſt refert colorem ferri. Quin & fila-

menta, quibus ſaepe Conopeum, & multae praeterea veſtes lineae circum ſuuntur, Ferrugineum dicunt infectores. Tunica etiam nuclei pinei lanugine quadam pulverulenta, ferruginea eſt. Erat is quoque lugentium color. Itaque capitur nonnunquam & ipſe pro funeſto, atque ea de cauſa Hyacinthi dicti fuerunt a Vergilio Ferruginei, quaſi lugubres, quia puerum, ut eſt in fabulis, caſu interfectum Apollo diu luxit, atque in ejus foliis velut epitaphium, in ſui doloris perpetuum monumentum inſcripſit, non quia vere floris color ſit ferrugineus: eſt enim is, in quem mutatum ferunt adoleſcentulum, purpureus. De Hyacintho in literatum floſculum transformato fecimus hoc:

Nil opus elogio redimire, aut flore ſepulchrum.
Ipſe ſibi flos eſt, elogiumque puer.

Eodem modo Caelum vocatur Ferrugineum, hoc eſt nubilum & triſte, atque apud eundem Vergilium, Sol caput ſuum nitidum in morte Caeſaris texit Ferrugine, quaſi colorem ſe induit lugenti aptum, ut tanti viri caedem Sol ipſe lamentari videretur. Nec alia ratione Charontis naviculam dixit Ferrugineam, quam quoniam ea una, loco Sandapilae, mortuos omnes veſpillo indefeſſus transvectat.

RUFUS. CAP. VII.

NOn eundem eſſe Rufum, atque Rubrum, ex hoc intelligi poteſt, quod recte dicitur ſanguis Ruber, Rufus non recte. Rurſus barbam, & capillum Aenobardi Rubrum veteres non dixerunt, ſed modo Rufum, Rutilum modo, qui idem eſt. Quin & canes immolabant Romani ſacerdotes, nunquam Rubras vocatas, ſed quas nunc Rufas, nunc Rutilas appellabant, ad placandum Caniculae ſidus, frugibus inimicum. Ex quo manifeſtum eſt, Rufum rutilum-

que

que eundem eſſe, id quod ex antiquis etiam aliqui docent. Et canis igitur colore ſatis noto, atque e multorum barba, & capillo, cujuſmodi ſit color Ruſus, apparet. Hunc ruſtici in armentis Robum, Gilvumque olim dixerunt, atque etiam Heluum: ut vini genus eſt quoddam inter Rufum, Albumque nulli non cognitum: quod quoniam Cераſi colorem refert duracini, Ceraſolum aliqui dicunt Italiae populi. Sed & Burrham iidem appellabant vitulam, quae roſtro eſſet Rufo. At homo Burrhus eſt, qui pranſus, cibo, & potione rubet, hunc aliqui etiam Rubidum vocant. Invenitur & Rubeus, etſi aliqui non indocti vocem non eſſe latinam monuerint: cum tamen apud auctores non malos ex uvis nigris fieri vinum forte legatur, e Rubeis autem ſuave: necnon bos Rubeus probetur. Verbum eſt omnino ruſticum, nec prorſus idem color eſt, qui & Ruber, ſed ad eum proxime accedit. Quid quod Ruſſeus etiam legitur? negat quidam e vetuſtis Grammaticis dici poſſe, Ruſſum jubet, ex quo pannus eſt Ruſſatus. Utrumque certe Latinum eſt, ſed Aratoris magis, quam Oratoris; habent enim & ſua verba, qui ruri vivunt Urbanis nonnullis inaudita. Ruſſeum equum dicunt illi, qui non plane Ruſſus eſt, ſed aliquanto minus ruboris habens idem fere videtur. Hic autem, quoniam quaſi cruentato ſimilis eſt, hodie ſaginatus, quaſi ſanguinatus vulgo nominatur, quamvis hujus nominis nonnunquam equi albeſcant.

RUBER. CAP. VIII.

Rubrum maxime indicat animantium ſanguis, & quo lana inficitur, Coccus, granum id a noſtris vocatur, unde veſtis eſt Coccina, nulli ignota. Oſtentat tamen hunc colorem prae ceteris rebus liquor purpurae, cujus adeo gratus eſt color, ut ſi quid pau-

lulum habeat ruboris, modo viſu ſit illud non injucundum, Purpureum ſaepe dicatur, ut ſunt violae, & varia florum genera: quin & Candidus, is enim quoque oculos remoratur, a Poëtis vocatur nonnunquam Purpureus. Nam & olores Purpureos dixit Horatius, & nivem ipſam purpuream Albinovanus. Invenitur & Blatteus poſitus pro Purpureo. Non praetereundus eſt color Viteis frondibus arefactis ſimillimus, & idcirco Xerampelinus Graece dictus. Uſurpant hanc vocem Latini, certum enim Vitis genus adulto jam autumno pampinis rubet velut cruentatis, unde nomen colori inditum eſt. Roſa ab omnibus nunc dicitur Sicca. Atrabapticas veſtes eo colore infectas, quoniam in eo Purpura nigreſceret, aliqui appellaverunt. De ea re fabellam excogitatam his verſiculis fui complexus:

Caederet immeritae Vitis dum crura, recidit
Ipſe ſua, & dira caede Lycurgus obit.
Unde prius viridis, rubet hoſtis ſparſa cruore
Illaeſo Vitis ſtipite, & ulta nefas.

ROSEUS. CAP. IX.

JUcundiſſimus omnium eſt color Roſeus, atque humano corpori, ſi id formoſum eſt, quam ſimillimus. Itaque os, cervicem, papillas, digitos Roſeos Poëtae dicunt, id eſt Candidos, rubeo ſanguinis penitus diffuſo cum venuſtate, isque color proprie eſt, quem communis ſermo Incarnatum vocat. Refert enim maxime omnium pueri nitorem, ac virginis roſam, non Mileſiam intelligo: quae nimis purpurea ardere quodammodo videtur, nec rurſus albam, ſed quae utrinque decorem accepit, & quia corpus hominis imitatur, quod lingua vernacula carnem appellat, eadem id genus Roſarum Incarnatum nominavit. Cicero colorem hunc Suavem dixit.

PUNICEUS. CAP. X.

A Phoenicibus color Phoeniceus, Puniceus quoque dictus flagrat, velut Viola flammea, atque ita a multis olim Purpura vocata fuit violacea, hodie poene nomen ſervat: nam Paonacius, quaſi Puniceus dicitur, & ſi aliqui vocem hanc vernaculam a Pavonis colore factam volunt. Phoeniceum vero alium ab hoc, Palma quae Phoenix Graece eſt, a ſe nominavit: color hic in equo, ut jam diximus, maxime laudatur, qui modo Spadiceus, Bajus modo, Badius etiam & Balius, variis nominibus vocatus eſt. Termites enim palmarum cum fructu Spadices, & Baja Graeci dicunt: unde equus ab equiſonibus appellatur Bajus.

FULVUS. CAP. XI.

Ex omnibus maxime lucet Fulvus, quem multa jactant, Orichalcum in primis, Aurum, ipſaeque etiam Stellae.

Quas non extinguunt venti, non nimbus aquoſa
Nube cadens, celſa ſemper ſed luce coruſcant.

Quare Tibullus proprie ſidera Fulva appellavit. Eſt & aureolae ſpecies arenae quam Fulvam dixit Vergilius, & genus quoddam aquilae ab Ariſtotele maxime celebratum, colore etiam Fulvo. Qui ſi obtuſus quodam modo eſt, atque obſcuratus, vocatur Ravus. Jamque ſic Horatius lupam appellavit, cujus colorem noto magis verbo plerique omnes Fulvum dixerunt. Tradunt aliqui Ravos oculos quos in cane & ariete laudat M. Varro inter caeſios eſſe, & flavos. Ornat ſaepe color hic Flavus virginum, ac puerorum capita, atque in maturis frugibus ſemper elucet, necnon pro pulchro frequenter poſitum videmus. At

Luteum nihil aeque oſtentat, ac flos Calthae & Geniſtae, ovique etiam vitellus. Croceo eſt hic perquam ſimilis, ſed lucidior aliquanto, ab antiquis Flammeus quoque dictus, quoniam eo Flaminis uxor Flaminica utebatur. Poteſt hoc loco Pallidus poni, ac Luridus: mortui color eſt hic horribilis, ipſiuſque mortis, ut poëtae dicunt, & Plutonis: ille nonnunquam vel gratus in homine, atque amabilis.

VIRIDIS. CAP. XII.

Cujuſmodi ſit color Viridis, ſuppeditat exemplum herbarum multitudo, quarum tanta eſt varietas, ut cum earum vis ſit infinita, nulla tamen aeque atque ex iis aliqua, prorſus vireat, ſed omnes inter ſe diſcolores videantur, id quod in reliquis omnibus coloribus apparet. Quare ſi minus eſt hic Albus, aut Niger, quam ille, non idcirco nomen Albi amittit, aut Nigri. Ex auribus autem inſignis eſt hoc colore Pſittacus, avis inde a quibuſdam Viridis appellata, & qua nihil laetius eſt, Smaragdus. Maxime quoque lucet Viriditas in genere quodam Scarabei, cujus ipſe meminit Ariſtoteles. Is quoniam dorſum habet nota quadam aureola ſic litum atque illuſtratum, ut Lunae ſpeciem exiguae ſuſtinere videatur, non invenuſte a nobis Conſentinis equus Lunae nuncupatur. Fecimus hoc jampridem de Scarabeis jocoſum epigramma:

Parvula Siſyphio gens condemnata labori,
Quas Figula ipſa facit, fertque refertque pilas.
Pars nigra, ut Aethiopum manus uſta caloribus horret,
Regia pars viridi picta colore nitet.
Parva micat cujus dorſo nota, magna minutis
Si conferre licet, Luna puſilla velut.
Dixit Equum Lunae hinc cognomine Brutia Tellus.
Quod ſi bellator ſic nituiſſet Equus,

Illo

Illo capta foret non una Semiramis, eſſent
Centauri & plures, quam genus eſt Hominum.

Egregius eſt inter colores, qui virent, Praſſinus, multorum carminibus collaudatus, nunc Viride Porrum ab Inferioribus vocatur.

EPILOGUS. CAP. XIII.

Libet epilogum addere, varietatem proprie de Coloribus dici, ex quo veſtis varia, diſcolor eſt, diverſiſque coloribus conſuta. Diviſam nunc omnes vocant, & equus varius non totus vel candidus, vel niger, ſed his, aliiſve coloribus diſtinctus: ſic & Caelum varium, cujus partes ſerenae interlucent, partes nubilae triſtantur. Atque alium ſaepe pro alio, ſi inter eos affinitas eſt, colorem uſurpant poëtae, ut lumen Minervae Flavum dixit Vergilius pro Glauco, quo venuſtatem quoque eſſe in oculis Deae oſtenderet, quemadmodum amictum Tiberis, cujus aquam alibi Flavam appellavit. Glaucum idem eſſe cecinit: eſt enim inter hos colores ſimilitudo, & quaſi vicinitas. Sic ut jam dictum eſt, Albus pro Pallido, ac Caeruleus pro Subviridi poëtice ponitur, proque etiam Subnigro, multique praeterea invicem cedunt. Ex omnibus vero maxime contrarii ſunt Albus, & Niger: quare nihil aeque apparet, atque in alba papyro atramentum. Utebantur veteres, quod nunc etiam ſervatur, cum librorum titulos notarent, colore puniceo in honorem memoriamque Phoenicum, quos literarum tradunt fuiſſe inventores.

Sunt etiam e coloribus aliqui incerti, qui intuentium oculos fallunt, ut eſt Caeli nitor, quod cum tenebroſum quidam autument, illuſtratum radiis ſolaribus Cyaneum videtur, ut Iris, ut quas ſuſpicimus nubes nonnunquam igneſcere, ut mare ipſum, quod praeter Caeruleum, modo Atrum horret, modo vire-

ſcit, interdum etiam Flavum, Ravumque ſe oſtendit, aut ſpecie quadam purpuraſcit violacea.

Non idem quoque decor in collo cernitur Columbae, & Pavonis, unde aves ſaepe dicuntur Verſicolores, quale eſt ſerici genus notum, quod e diverſis partibus ſpectanti non eundem offert coloris lepórem. Diſcolor autem non modo pro vario ſumitur, ſed ſi quid eundem colorem velut radios quoſdam diffundit, ut

Diſcolor unde auri per ramos aura refulſit.

At Decolor is igitur, ex cujus ore color defluxit, & exanguis relictus eſt, atque iccirco pro deformi capitur & nigro, ut Decolor Indus: nam Concolorem ejuſdem eſſe coloris nemo ignorat. Ad haec colores bifariam dividuntur, nam Auſteri vocabantur reliqui omnes, praeter Minium, Purpuriſſum, Cinnabarim, Armenium, Chryſocollam, Indicum, quos Floridos dixerunt. Sed haec Pictores videant, quibus olim in uſu tantum erat Melinus color, Candidus, Silaceus, qui inter caeruleos nominatur, Sinopis genus rubricae, & atramentum. Quidam etiam Suaves dicti ſunt, ut Flavus, Purpureus, Candidus, in primis Roſeus, humanis autem oculis nihil venuſti hominis colore ſuavius videtur. Ineſſe vero coloribus ſuavitatem, praeterquam quod ſenſus ipſi judicant, egregii Latinitatis auctores oſtendunt, M. Cicero, & Vergilius Maro, quorum alter ſuavem hominis colorem dixit, ab altero

Suave rubens Hyacinthus

vocatus eſt. Alii triſtes ſunt & lugubres, velut Atrum eſſe diximus, Pullum, Ferrugineum, & Caerulei ſpeciem.

Quin ut videntur, ſic Sordidi etiam aliqui dicti ſunt, ut de quibus locuti ſumus Suaſus & Impluviatus, iis enim rei ut miſericordiam apud judices captarent, ſed deturpabant. Talem quoque fuiſſe veſti-

tum

tum Charontis oſtendit, cum inquit Vergilius:

Sordidus ex humeris nodo pendebat amictus.

Jam vero colores partim nominati ſunt a locis, ut Puniceus, Tyrius, idemque Sarranus. Purpurei ſunt hi, Indicum, Sinopis, Melinus, Hiſpanus, Boeticus, Mutinenſis, de quibus dictum eſt. Coloſſinus a Coloſſo urbe in Troade, ubi lana inficitur florem referens Cyclamini, quod tum Raptum, tum terrae Malum, ac Tuber vocatur, a nobis Conſentinis Terrigena, fulget flos ille inter candorem, & purpuram.

Partim a metallis nuncupati ſunt, ut Plumbeus, Ferrugineus, Argenteus, Aureus. Sed a plantis nomen acceperunt complures, ut praeter Phoeniceum, id eſt Palmeum, ac Xerampelinum, Buxeus eſt qui pro Pallido ſumitur, pallet enim prae ceteris Buxea materia. Roſeus praeterea Hyacinthinus, in quo purpura lucet ſubnigra, Hyſginus ab Hyſge herba, Coccinus, & utrique ſimilis Sandycinus. Violaceus qui & Ianthinus, ex quo Tyrianthinus, e purpura ut nomen indicat, factus, & Viola. Additur his Croceus. Unde Crocotula veſtis genus, ut a Caltha Calthula: a Byſſo lini genere tenuiſſimo Byſſina: erantque hae omnes Luteae, ſed Byſſina pene ut aurum fulgebat. Fuit in uſu veſtis a Citri ſimilitudine, Citroſa dicta. Et quaedam coloris candidi, Papaverata a Lucilio Satyrico, cum eam, ut probrum, Torquato objeciſſet, nominata. Invenitur quoque Galbina veſtis alba a Galbano. A Malvae item floſculo color eſt Molochinus, ut a Punicae etiam flore Balauſtinus. Virentis quoque Porri folia nomen ex ſe, ut jam diximus, fecerunt Praſinum. Multi praeterea ab animalibus vocati ſunt, ut Cervinus, Murinus. Atque hi colores ſunt in equo notiſſimi. Muſtellinus, de quo Terentius. Ictericus, qui Regio morbo laborat, a colore Galguli, quam Graeci avem Icteron dicunt. Luteus eſt hic admodum. Cygnaeus, idemque Latine Olorinus,

nus , id eſt Candidus , ut contra Coracinus , Niger . Aſcribuntur & his Oſtrinus, Conchyliatus, Muriceus, Purpureus , ab Hercule , ut fabulantur , primum inventus . Feci paucos de ea re Choriambos , quos viſum eſt hic ponere :

Errat dum bibulis Herculeus littoribus canis ,
Nantem forte videt ſpumifero gurgite Purpuram ,
Aggreſſuſque ferox corripuit viſcera mordicus .
Non paſtus rediit commaculans gramina ſanguine .
Quem Tyro ſimul ac pulchra videt (namque erat haec comes)
Prolutum roſeis candida ſic ora coloribus ,
Alcidem alloquitur : Non alio munere te ſequar ,
Quam ſi picta mihi Palla rubens huic ſimilis datur .
Quod nunc per ſpolium terrificae te rogo Belluae,
Invictaeque manus robora , per tela ſonantia ,
Non ignota avibus nubila translata fugacibus ,
Da ferre haec (poteris nam omnia) nec te tenuit Maris
Circumfuſa palus , Heſperidum quo minus aurea
Ferres munera . Sic brachiolis fata revinciens
Robuſta implicuit Nympha procax colla tenaciter .
Paret victus amans blanditiis Amphitryonius ,
Nactuſque exanimem , quam expuerat jam mare , Purpuram
Infecit Tyrio primus ovem Murice candidam .

A rebus denique diverſis nonnulli colores dicti ſunt, ut Igneus, Flammeus. Sic orbis, nitorque Solis ab Accio, & Catullo appellatus eſt. Quare color Solis, & quia ita apparet , & ex illorum auctoritate Flammeus proprie poteſt vocari . A Caelo, ut jam principio dixi , Caeruleus eſt . Marinus, & Thalaſſinus a Mari : ab unda Cymatilis & Cymatius : idemque eſt in iis omnibus color. Quin etiam ab Arcu

plu-

pluviarum nuncio, Arquatus eſt nominatus. Hyalinus, qui & Vitreus, Niveus, Marmoreus, Lacteus, Eburneus, quo dictus fuit cognomento propter candorem corporis Fabius quidam. Amethyſtinus praeterea, ex quo Tyriamethyſtus in uſu fuit olim. Sandaracinus, Flammeus eſt is, quibus etiam Impluviatus, Sanguineus, atque Herbidus adduntur. Cereus item, Piceus, Cinereus, ut Cardui genus eſculenti a colore, Cinara vocatum. In hoc autem Carduo eſſe etiam aliquod ipſius virtutis ſimulachrum, pauci quos hic ſubjeci declarant verſiculi.

Ut vallatus acutis
Circum frondibus horret
Intus ſed tamen abdit
Dulcem Carduus eſcam;
Caelo miſſa ſereno
Sic virtus, puer, aſpris
Ambit ſentibus ipſam
Jucundam Ambroſiam Diis.

A Spumis quoque, & Maculis, Spumeus eſt, & Maculoſus: atque ii equorum ſunt etiam colores, ut a Guttis Guttatus, cujuſmodi, praeter equos, canes videntur nonnulli ſagaces, quos a Muſcarum ſimilitudine Muſcatos dicunt, velut equus Scutulatus a Scutulis: quem ab exiguorum Pomorum ſpecie Pomulatum vocant equiſones, & ſi orbes ſunt latiuſculi, Rotatum. Videtur ad extremum natura amare Caeruleum: eo enim ut initio diximus, Mare colluſtravit, ac Caelum ipſum quod nunquam ſtellis fulgentibus ornaſſet, niſi eadem quoque Fulvo maxime delectaretur. Sed quia viciſſim videmus Terram, aut Viriditate conveſtiri, aut eo ornatu ſpoliatam, Pullam eſſe, aut etiam candore niveo contegi, Viridem, Pullum, atque Album Naturae gratum eſſe nemo poteſt dubitare.

Nigra

Digitized by Google

Nigra inſuper eſt Nox, nigri ſunt Indi, aut Aethiopes. Gaudet igitur rerum mater colore Nigro, quam a Rubro nihil abhorrere, hominum, ac ceterorum animantium ſanguis facile declarat.

FINIS.

IN-

Digitized by Google

INDEX

COLORUM.

ALbus	cap. 3
Amethyſtinus	13
Anthracinus	3
Aquilus	3
Arquatus	13
Argenteus	13
Ater	3
Aureus	13
Auſterus	13
BAdius	cap. 10
Baeticus	5
Bajus	10
Balius	10
Balauſtinus	13
Blatteus	8
Burrhus	7
Buxeus	13
Byſſinus	13
CAeſius	cap. 2
Candidus	4
Candens	4
Canus	4
Cervinus	13
Cereus	13
Cinereus	13
Caeruleus	1
Coccinus	8
Coloſſinus	13
Concolor	13
Conchyliatus	13
Coracinus	13
Croceus	11 13
Cyaneus	1
Cymatilis	13
DEcolor	cap. 13
Diſcolor	13
FLavus	cap. 11
Flammeus	13
Flameus	11
Ferrugineus	6
Floridus	13
Fulvus	11
Furvus	3
Fuſcus	3
GAlbinus	cap. 13
Gilvus	7
Glaucus	2
Guttatus	13
HEluus	cap. 7
Herbidus	13
Hiſpanus	5
Hyacinthinus	13
Hyſginus	13
Hyalinus	13
IAnthinus	cap. 13
Ictericus	13
Igneus	13
Impluviatus	5
Incertus	13
Inſuaſus	5
LEucophaus	cap. 4
Lividus	3
Luridus	11
Luteus	11

NA-

Maculoſus cap.13
Marinus 13
Melinus 13
Molochinus 13
Murinus 13
Muriceus 13
Muſtellinus 13
Mutinenſis 13

Nativus cap.4. 5
Niger 13

Olorinus cap.13
Oſtrinus 13

Pallidus cap.11
Plumbeus 13
Phœniceus 10
Praſinus 12
Preſſus 3
Pullus 5
Puniceus 10. 13
Purpureus 8. 13

Ravus cap.11
Robus 7
Roſeus 7
Ruber 7. 8
Rubidus 7
Rubeus 7
Rufus 7
Ruſſus 7
Ruſſeus 7
Rutilus 7

Sarranus cap.13
Sandycinus 13
Sandaracinus 13
Sanguineus 13
Scutulatus 13
Silaceus 13
Sordidus 13
Spumeus 13
Suaſus 13
Suavis 13

Thalaſſinus cap.13
Tyrius 13
Tyrianthinus 13
Tyriamethyſtus 13

Varius cap.13
Venetus 1
Verſicolor 13
Violaceus 13
Viridis 12
Vitreus 13
Xerampelinus 8

ANTONII THYLESII
CONSENTINI
O R A T I O,

Quam habuit in funere

JOHANNIS JACOBI TRIVULTII.

Digitized by Google

ANTONII THYLESII

CONSENTINI

ORATIO,

Quam habuit in funere

JOHANNIS JACOBI TRIVULTII.

QUASI lux quaedam, quae patriam fulgore illuſtrabat; extinctus eſt JOHANNES JACOBUS TRIVULTIUS. Unde nunc illa ſeſe afflictans, in moerore verſatur; lugetque caput fidiſſimum tot tantiſque victoriis inſigne, Italicae militiae decus, & columen, morte ſibi ereptum eſſe; funuſque in ſenibus tempeſtivum, tamquam immaturum, deflet acerbiſſime. Jure quidem deflet: multa enim in uno magnaque amiſit. De quibus rebus juſſus aliquid breviter dicere, Odete Princeps Illuſtriſſime, Rectorque, & Gubernator Ciſalpine ſapientiſſime, Praeſes optime, ceterique qui adeſtis, Patres ampliſſimi, ac Viri Magnifici, ſcio me benigne audietis, & intente. quando inter plurimas, maximaſque virtutes, quibus abundatis, humanitas quaedam elucet ſplendidiſſima; quando bonas artes amatis, earumque ſtudioſos; quando de homine, ſeu viro, ſeu principe potius, ac duce dicturus ſum clariſſimo, Cive veſtro, optime merito, eodemque omnium Parente. Nam & aetate reliquis an-

Digitized by Google

teibat, & tanquam Parens bonus omnium honori, & utilitati pariter conſulebat. Cujus geſta, ſi externi homines libentiſſime audiunt, & cum voluptate; quid vobis faciendum eſt, quibuscum gloriam, famamque ſuam vir ille communicavit? Quaecumque enim geſſit, quae multa fuerunt, & praeclara, earum rerum vos omnes eſtis participes, & quaſi coheredes. Atque ego ea mente veni, ut aliquas tanti Ducis laudes recenſerem, non omnes; ſiquidem difficillimum eſſet quae diverſis locis, temporibus diverſis, a pueritia ad ſenectutem uſque egit, brevi oratione colligere. Jamque exiſtimo ea multo eſſe vobis notiora, quam mihi; ut Familiae vetuſtatem, dignitatemque, quae multis abhinc annis, atque adeo ſaeculis, Diocletiano Imperante, e Trivultio Burgundiae (ſic enim legi in antiquis monumentis) in Urbem hanc celeberrimam profecta eſt; quam cum armis defendiſſet, cunctis rogantibus uno ore, in ea conſedit, ubi longa ſerie in maximo fuit honore, & auctoritate; ac non ſemel acerrime pugnans hoſtium exuviis civitatem hanc pulcherrimam exornavit. Sed ne antiquiſſima videar adducere, & a noſtra memoria remotiſſima, Pater hujus Ducis eminentiſſimi, cujus exequias maeſtiſſimi celebratis, Excellentiſſimus fuit Antonius Trivultius, qui cum varia geſſit, & egregia, tum prioris Alphonſi Regis copias in Piceno profligavit, cepitque, & trans Aternum fugavit, miſſus a Franciſco Mediolani Duce. Clarus quoque fuit Renatus Trivultius. Clari etiam complures. Quid tamen attinet eos, qui jampridem e vita exceſſerunt, nominare; quum praeſentes ſpectetis, praeſentem ſtirpem hanc generoſiſſimam? In qua quot, quantoſque Viros videtis? E quibus Antiſtites ſunt multi probitate, doctrinaque, & ampliſſimis ſacerdotiis aucti, & hic, & in Urbe Roma Pontifici Maximo omnes acceptiſſimi. Optimus enim ille non ſolum Maximus ſui ſimiles

miles amat, fovetque, qui nunc eodem lumine orbati producta funeris pompa maerent graviſſime. Plures in re militari diu multumque verſati, Ductoreſque eximii, & ſpectati: verum haec, ut dixi, vos longe melius noſtis, quam ego; quemadmodum & ea, quae propria fuerunt hujus ornatiſſimi Viri JOHANNIS JACOBI TRIVULTII; quae quamquam nemini veſtrum ignota ſunt, tamen, quia eum jure amatis, puto non injucundum vobis fore, ſi ea quam pauciſſimis exponam: quae enim memoratu dulcia ſunt, quanto ſaepius repetuntur, eo delectant magis. Atque ut hinc incipiam, illum ſic Natura formavit, ut natus videretur, ſicut fuit, ad militares aerumnas ſuſtinendas. Cibi, potioniſque parciſſimus, quo genere abſtinentiae, cum ſemper mentem ſervavit integram, ſynceram, vigilemque, & intentam, tum graviſſimum a ſe morbum repulit articularem, qui, nulla re poſſit curari, curavit tamen ille, ſeu potius tamquam hoſtem fugavit temperato, & ſalubri victu. Caloris etiam fuit frigoriſque patientiſſimus: teſtes ſunt Alpes Gallicae, per quas Grajus Hercules, & Carthaginenſis Annibal uterque in aetate juvenili ſemel tranſivit. Hic longaevus ſaepiſſime iter illud concepit eundo, & redeundo frigidiſſimo anni tempore, per ſaxeta, crepidines, per rupes praecipites, diuturna nive, & glacie rigentes. Quid rerum gerit JOHANNES JACOBUS TRIVULTIUS in hac hyeme? Senectutem ne fovet ſuam ad ignem? an in lectulo quieſcit? ſic aliqui rogabant. Reſpondebatur: Ille aliquot abhinc diebus in Galliam profectus eſt, Tranſalpinam brevi rediturus; nam ſic ſolitus erat illuc ire, & redire, ubi aliquid pro Chriſtianiſſimis Regibus faciendum eſſet; tamquam ſi Gallia regio fuiſſet ſuburbana. Somno quoque minime omnium deditus erat, domi cum eſſet antelucanis horis ſurgebat quotidie, ut mente tractaret ea, quae ad Chriſtianiſſimos Reges, quaeque ad Rempublicam attinerent;

Nam in Caſtris nunquam, niſi victis, aut fugatis hoſtibus quieſcebat, ſub galea, ſub lorica, ſub ſcuto; nulla ſub culcitra, ſub pulvino, aut ſtragulo: Inter equorum fremitus, armorum ſtrepitus, militum clamores, turbarumque clangores: Hae erant citharae, hae lyrae; ad hos cantus vir ille ſomnos captabat. Totius vero corporis robore, & firmitate, quanta fuerit in juventute, declaravit ejuſdem ſenectus; in qua ſic equum armatus conſcendebat, deſcendebat, incitabat, ſuſtinebat; quaſi adoleſcens fuiſſet validiſſimus. Inter ſuos loricatus cum equitaret, caniciemque galea premeret, haſtamque vibraret, omnium in ſe unum oculos convertebat: nam ſi haec probantur in juvene, mirabilia ſunt in ſene, & quaſi divina. Talem, ajunt, fuiſſe Numidiae Regem Maſiniſſam; ſed quae legimus, non ita creduntur, ut ea, quae oculis ipſi cernimus. Quin etiam ipſa oris dignitas virum arguebat fortiſſimum. Legiſtis puto de C. Mario, qui & ſenex, & inermis vultu tantum, & voce Cimbrum in ſe venientem armatum terrefecit, & fugavit; itemque de Coriolano, cujus aſpectus hoſtibus erat formidoloſus. Illam eandem praeſeferebat animi praeſentiam, & ſpiritum Trivultius. Quam etiam inter cives decebat caput illud ſenile, & canis venerandum? quam etiam inter Proceres? Unius ob os omnes ora vertebant ſua: quem quoniam vivum nequeunt ultra ſpectare, convenerunt nunc, ut ſpectent mortuum, rati, quod Metellus Macedonicus liberis ſuis dixit de Africano Minori fore, ut numquam videre poſſint civis exequias majoris. Sed agite virtutes animi inſpiciamus. Sunt quidem illae innumerabiles; ſed ex iis paucas celeriter percurram, imprimiſque ejus fortitudinem attingam, qua munitus multa, & gravia pertulit, bonorum jacturam, exilii incommoda, patriae ſuorumque deſiderium, unici, atque optimi filii mortem acerbam. Sed illud admodum laudabile, quod for-

tunae

tunae numquam ceſſit, ſed cum ea aſſidue contendit, dimicavit, digladiatus eſt, feſſamque tandem, ac victam fregit: quum illa invidia aeſtuans, omnes aditus quaereret, & enixe laboraret hujus ſplendorem extinguere; deturbaret quandoque inſidiis; iſque animis reſiſtens fortior ſurgeret, eamque ulciſcens ſterneret, rueret, praecipitaret: Quid me audes minacibus oculis intueri? alios terre, Fortuna, ignavos, ſegnes, oſcitantes, ocio languentes, ſomniculoſos; quid tibi cum impigris? cum intrepidis? cum impavidis? nihil cum fortibus juris habes; nihil poteſtatis cum magnanimis. Haec atque alia cum cogitaret, ſeſe adhortans obvius ibat laboribus, & periculis. Unde tutus ſemper evaſit duce, non tantum animi magnitudine, ſed prudentia; qua, & ſe, ſuoſque tamquam clypeo protegebat, & hoſtes ſuperabat. Accedebat, & illa erga omnes aequitas, qua ſevere iniquas militum direptiones, rapinas, incendia, ſtupra, ceteraque flagitioſa vindicabat, lites componebat omnium ipſe, quicquid acciderat, judicabat ipſe. Comis interdum, facilis, & clemens; interdum, ubi opus erat, triſtis in improbos, inexorabilis, & vehemens. Non una in uno videbatur natura, ſed omnium. Nam quid ego dicam de ejuſdem manſuetudine, & injuriarum oblivione? Victor, cum id facile poſſet, neminem violavit umquam. Quid de fide? quam cum multi non ſemel tentarent promiſſis ingentibus, & certiſſimis labefactare illam, rebus omnibus contemtis, & repudiatis, ſanctiſſime ſemper ſervavit. Quibus artibus multos, magnoſque Chriſtiani Populi Principes ſibi conciliavit: ſub quorum auſpiciis, quae geſſerit, longum eſſet commemorare: quoties in acie fuerit, quot ſervaverit commilitones, quot hoſtes partim ceperit, partim ſtraverit, multis acceptis vulneribus, pluribus tamen illatis, oppidaque expugnaverit; cum ipſe ſcalis admotis, ut Ducem intrepidum decet, primus omnium muros conſcenderet;

unde ſaepiſſime in concione laudatus praemia accepit plurima, & maxima: quot praeterea matronas, virgineſque libidini militum eripuerit. Senenſes fuerunt illae, quas Juvenis continentiſſimus (nam haec jampridem fuerunt) & ſervavit, & ad ſuos remiſit integras. Pene exciderat e memoria Auximum, qui locus natura, & praeſidio munitus, artes ſenſit, vireſque TRIVULTII: cum valles aggere montibus aequavit, ac tormentis hinc inde moenia verberans trepidantes compulit oppidanos ad deditionem, praeter omnium ſpem, & opinionem. Unde a Pontifice Maximo hilari vultu acceptus multis, magniſque muneribus donatus eſt, oblato etiam pileo Cardinalium inſigni purpureo; ſed ille caſſidem maluit ferream, natus videlicet ad arma, & ad res gerendas maximas. Leguntur haec, & habentur in manibus; ſupervacaneum igitur eſſet differere. Praeſertim cum Oratio ſit haec, non Hiſtoria, aut Annales; neque ſtatuerim tanti Ducis vitam hic explicare. Quod ſi feciſſem, ab illius puericia inciperem, in qua conſtat armorum, equorumque fuiſſe ſtudioſum. Dicerem de adoleſcentia, in qua ſpem & futurae virtutis argumenta exhibuit; cum ex equitum ludicro concurſu, & haſtarum certamine, ut fit, ſolus ex omnibus palmam aſſequutus eſſet: quaſi praeludium fuit illud, & tamquam omen certiſſimum; fore ut non ſemel victis hoſtibus victoriam reportaret. Dicerem ejuſdem prima ſtipendia, quae Galeatium Sfortiam ſequutus fecit in Gallia: quo tempore a Ludovico Rege Chriſtianiſſimo aliquot e ſuis defecerunt, multis abhinc annis, ubi inter alia pulchra facinora, conſtat civem ſervaſſe non ſine vitae ſuae diſcrimine. Jam tunc videbatur, quo eſſet tantus Vir perventurus. Sed quam magnus fuerit hic, vel ex hoc intelligi poteſt, quod non modo Regum Aragoniae gratiam iniit maximam, cum procul a ſuis in urbe

vive-

vivere. Neapoli : ubi (nimirum vera virtus ubique eſt amabilis) Beatricem Davalam , illuſtriſſimo genere natam , & modeſtiſſimam matrimonio ſibi junxit . Quo conjugio , quid umquam laetius viſum eſt? Quanto cum gaudio Genuenſes publico hoſpitio illos, cum Mediolanum venirent , exceperunt ? ceteraque deinde oppida , & urbes? Quanta cum voluptate , atque alacritate viderunt Cives amantiſſimi , Civem illum Clariſſimum ? Quaſi Triumphus ingreſſus eſſet urbem hanc , ita omnes obviam laeti , & gratulantes procedebant . Quid loquar de apparatu lautiſſimo , & copioſiſſimo ? de nuptiarum magnificentia ? Nemo , qui tunc vivebat , non vidit ; nemo qui poſtea natus eſt, non audivit: ſed ut redeat unde defluxit Oratio, non ſolum Neapolitanis Regibus gratus vixit, ſed gratiſſimus tribus ex ordine Francorum Regibus Chriſtianiſſimis , Regi Carolo , Ludovico Regi , & huic potentiſſimo Regi Franciſco Chriſtianiſſimo ; quibus, quam fidem probaverit , animique conſtantiam , quidve ſub eorum imperio egerit, non modo hic divulgatum eſt, ſed exteris quoque Nationibus , eritque non huic tantum aetati cognitum , ſed omni etiam poſteritati . Quamdiu enim Regum illorum fama extabit , extabit autem omnibus ſaeculis; tamdiu hujus quoque Viri nomen reſonabit : ut enim cum Agamemnone laudatur Neſtor , cum Rege Perſarum Zopyrus ille , qui Babyloniam cepit , cum Philippo , ejuſque filio , Parmenio : ſic cum tribus Francorum Regibus Chriſtianiſſimis, notum erit nomen TRIVULTII. Laudatur Carolus Rex Chriſtianiſſimus, & vere quidem laudatur: quum alibi locorum, tum in agro Parmenſi apud Forum novum , cum e mediis hoſtibus ſeſe expediens, incolumi exercitu e locis anguſtis victor evaderet. Laudatur quoque cum eo TRIVULTIUS , ejuſque conſilium , & acumen , cum miſſis antea impedimentis hoſtem impedivit, ac interea ferro viam aperuit , edita

ingenti ſtrage. Quo die non tantum Viri virtus ſpectata eſt, & ſolertia, ſed ſumma quoque felicitas, quae illum, quicquid agebat, numquam deſeruit. Cepit, atque recepit Inſubriam Ludovicus Rex Chriſtianiſſimus cum maxima laude, & gloria. Laudem quoque & gloriam cum eo aſſequutus eſt TRIVULTIUS, qui praemiſſus, brevi omnia pacata reddidit. Mirifice ſe geſſit fulmen belli Rex hic Franciſcus Potentiſſimus, & Chriſtianiſſimus; unde famam adeptus eſt, & immortalitatem. Famam quoque, & immortalitatem adeptus eſt TRIVULTIUS. Multa praetereo, & ea, quae geſta ſunt ad Petram, ubi hoſtibus, tamquam belli propugnaculum, ſe ſe oppoſuit, effecitque, ut qui prius eſſent formidoloſi, ultro ipſi rogarent inducias; & victoriam illam Bononienſem, claram, inſignem, altius elatam, atque alatam. Quo enim volans ejus celebritas non pervenit? Vix tunc ſe ſe oſtendit ille, cum repente diſſipato hoſtili exercitu victor fuit, ſuis omnibus non tantum illaeſis, ſed ne ſtricto quidem enſe, aut telo eminus jacto; quamvis id non ſemel accidit, ſed iterum, atque iterum conſilio dumtaxat, & fama hoſtes, nullo praelio commiſſo in fugam vertit ſine ſuorum caede, & periculo; aliaque praetermitto, quae cum multis Gallorum Ductoribus geſſit; unde nunc illi dolent, & valde quidem dolent ſocio in rebus dubiis, & nutantibus ſpectatiſſimo in perpetuum privari. Tuque imprimis doles, Odete Princeps Illuſtriſſime, Rectorque, & Gubernator Ciſalpine ſapientiſſime. Tecum multos annos eadem iniit conſilia, in iiſdem fuit caſtris, in eadem acie armatus, eoſdem labores ſuſcepit tecum, iiſdem periculis caput ſuum objecit tecum, in eoſdem ſimul impetum fecit, eoſdem ſimul fugavit, fuit particeps victoriae, particeps gloriae: merito igitur ſocium ita fidum, fortemque deploras; ſed & ipſe Rex Chriſtianiſſimus, & mitiſſimus, ejuſdem mortem fert moleſtiſſime; itaque per-

perſpecta illius ſynceritate, quam ſemper probavit, ut viventem unice amavit, ſic mortuum honoribus afficit, praemiſſiſque, & literis, & certis hominibus mandat, ut oppida, & urbes, qua tranſeundum eſt, honorifice funus excipiant; quod ſi nihil aliud aſſequutus eſſet, praeter honorem hunc regium, abunde fuiſſet glorioſus; verum, & Romae, ut dixi, velut unum defeciſſet Italiae praeſidium, juſta magnifice fiunt; quod vero noviſſime his paucis diebus egit JOHANNES JACOBUS TRIVULTIUS, ſilentio minime praetereundum eſt, pertinet enim maxime ad laudem ejus, & immortalitatem; nam cum multitudine annorum oneratus videret, non poſſe vitae exitum diutius proferri, ut fidem, quam ſemper inviolatam ſervavit, in extremo ſpiritu teſtatam relinqueret, nulla itineris difficultate deterritus, in Galliam ultimam nota via profectus eſt; quaſi mandata vellet accipere a Chriſtianiſſimo Rege; migraturus, & ipſe, quo ceteri, qui recte vixerunt mortales, in domum illam caeleſtem, & ſempiternam. Et en, inquit, Chriſtianiſſime Rex, mors tandem urgens, cui non datur reſiſtere, jubet hinc cedam relicta uxore cariſſima, ſuaviſſimo nepote, propinquis omnibus, neceſſariis, ſociiſque, & amicis jucundiſſimis. Teque inprimis, Jucundiſſime Rex, a quo invitus abſtrahor; ſed quando naturae legibus parendum eſt, nolui, Te inſcio, diſcedere; miſſionem igitur peto in Regiones iturus remotiſſimas, unde numquam dabitur reditus. Ecquid mandas? Jubes ne aliquid, Chriſtianiſſime Rex. Vale, ſemperque ſis felix, victorque ſemper. Patriam mihi rerum omnium cariſſimam, quamvis opus non ſit, tibi commendo, commendo tibi cives meos. Quis igitur hujus vitam feliciſſimam non judicat? Quae tot honoribus, & dignitatibus aucta, tot laudibus ornata ad extremam pervenit ſenectutem: eaque tandem ſoluta defecit cum ſumma laude, ſuperſtite tam florenti familia, ſuperſtite etiam

fama,

fama, quae pennis indefeſſa, quam latiſſime volans, hujus egregia facta celebrat ubique Gentium, non praeſentibus tantum, ſed poſteris; quae omnia dum cogitantur, dolorem tollunt, efficiuntque, ut non opus ſit nenia, plangore, lamentis, & ululatu; quae omnino vana ſunt, & tamen adhibenda, ubi quis turpiter vixit; non enim hujuſmodi rebus egent illi, qui vitam duxerunt honeſtiſſimam, & hinc ita evolarunt, ut ſui memoriam in animis viventium reliquerint perpetuam, ut hic fuit; cujus manibus gratulandum eſt, qui fructus e laboribus capiunt, inter homines, & multo majores inter animas caeleſtes, ubi aevo fruitur ille ſempiterno. Gratulandum eſt huic Familiae, quae inter majorum ſtemmata habet, & hujus imaginem, multis, magniſque titulis decoratam. Gratulandum eſt Patriae, quae non minus cive tam egregio gaudet, quam Thebani quondam Epaminonda, Athenienſes Themiſtocle, Scipionibus Romani; quorum geſta, aliorumque praeterea multorum ſtudio ſeligebat hic, & aemulabatur. Nam quicquid ocii dabatur a militia, a rebus publicis, & amicorum, id omne conferebat in cognoſcendis Antiquorum factis; unde ſemper aliquid addiſcebat; quocirca domi viros habebat doctiſſimos, quos & honore proſequebatur, & praemiis; jamque ſibi librorum ſuppellectilem paraverat lautiſſimam, & multae pecuniae, Lucullum ſequutus, Auguſtum, & Ptolemaeum. Gloriae igitur militari, quam aeternam adeptus eſt, additum fuit literarum ſtudium; ſcilicet, quia legebat, Alexandrum Macedonem, Caeſarem, Pompejum, alioſque militiae pariter incubuiſſe, & doctrinae, ut illis eſſet, ſicut fuit in rebus honeſtis, quamſimillimus. Itaque ut finem dicendi faciam, qui hunc virum amavit, amarunt autem omnes, debent & mortuo gratulari, ejuſque virtutes imitari. Tuque praeter alios, FRANCISCE TRIVULTI, puer ornatiſſime, & eximiae rei, abſterſis

ex

ex ore lacrymis, compreſſo etiam ſingultu enitere ſui veſtigia ſectari, unde non tantum hereditatem bonorum accepiſti, quae ille non ſedendo inter ignavos aſſequutus eſt, & labore vario, ſine quo nemo vir bonus poteſt aliquid honeſte adipiſci, ſed gloriae quoque hereditatem tibi reliquit, quae cuſtodienda eſt, atque etiam augenda omni conatu: quod ſine dubio efficies, ſi, ut dixi, Avum tibi propoſueris imitandum, atque etiam Socerum tuum THEODORUM TRIVULTIUM, virum ampliſſimum, cujus fidei, prudentiae, & fortitudini Venetorum Reſp. florentiſſima militiae ſuae permiſit habenas; Illum, vel Hunc ſequere; utrumque potius. Habes & alia domeſtica exempla ante oculos, & luminaria, quibus praelucentibus non poteris errare in tenebris. Age, Puer excellentiſſime, a teneris annis aſſueſce tuos referre, fidemque inprimis ſervare, ſicut tui fecerunt, & faciunt Chriſtianiſſimo Regi; unde praeter ea, quae Avus accepit, plura, & majora expectabis. Praeclara in te indoles elucet, ſcio; augebis & ipſe domum tuam honoribus. Bene tibi opto, puer, tuiſque omnibus, bene opto Patriae, quae floreat magis in dies, bonis artibus, divitiis, opibuſque, & potentiâ; extinctiſque ſeditionibus tranquilla quieſcat, ſitque unanimis; ita ut civitas omnis una videatur domus, cives fraterna caritate teneantur; opto quoque prae ceteris felicitatem Chriſtianiſſimo Regi, ut diu vivat, ut gloria abundet, belloque tandem ſuſcepto in hoſtes inſolentiſſimos Religionis noſtrae, eos agat in triumpho catenis oneratos. Utinam tempus illud veniat, quo videam Conſtantinopolim, Urbem illam pulcherrimam, eandemque miſerrimam nobis jampridem ereptam, non ſine maxima jactura, & dedecore, ceteraſque Graeciae urbes, ipſumque ſacroſanctum Chriſti Sepulchrum, & Chriſtianiſſimi Regis virtute, & armis Chriſtianis reſtitutum. Hoc ego cuperem, antequam oculos mors clau-

clauderet, victoriam ita juſtam, ita ſanctam, ita Diis, hominibuſque gratam ſpectare. Teque inter ceteros Gallorum Ductores, Odete Princeps Illuſtriſſime, Rectorque, & Gubernator Ciſalpine ſapientiſſime exuviis Turcarum onuſtum conſpicere. Jamque videre videor Senis illius animam ante Deum Optimum Maximum ſuppliciter orantem, ut omnes bellorum impetus, procellas, tempeſtates, & naufragia in Populos immittat Orientales, nobiſque ſatis, ſuperque jactatis, portus concedatur tranquilliſſimus. Dixi.

FINIS.

Digitized by Google

ANTONII THYLESII

CONSENTINI

IN ODAS HORATII FLACCI

AUSPICIA

Ad Juventutem Romanam.

Digitized by Google

ANTONII THYLESII

CONSENTINI

IN ODAS HORATII FLACCI

AUSPICIA

Ad Juventutem Romanam.

DISCE bonas artes , moneo , Romana juventus . Habendum eſt in ore carmen hoc , eique , velut Oraculo , ſemper parendum, adoleſcentes ingenui ; illinc enim omnia , quae ad recte , tranquilleque vivendum attinent, facile naſcuntur , ſtabiles divitiae, honores non fucati, vera voluptas , famaeque celebritas , atque etiam immortalitas , quae tot , tantaque bona ut poſſitis aſſequi , juvabit vos magna ex parte libellus hic ; quem iccirco mecum domo attuli , ut dono hic darem , non uni tantum ; nam ſi id facerem, qui eum acciperet, ſolus me amaret : reliqui vero, ut Juno, & Minerva, propter aureum illud, & fatale malum Veneri adjudicatum , odio in Paridem acerbiſſimo , ejuſque domum , & patriam exarſerunt , unde furialis bellorum fax Priami regnum funditus delevit ; ſic me odiſſent omnes , atque inde mihi non nihil metuendum eſſet homini praeſertim peregrino . Quem ego timorem ut vitarem , ſtatui omnes pariter donare , quo me amarent omnes , quando amore praeſer-

tim

Digitized by Google

tim omnium , nihil homini contingere poteſt optabilius. Ut igitur una, eademque liberalitate tot nobiliſſimorum adoleſcentium animos poſſim mihi conciliare, omnes, ut dixi, donandi eſtis , ita tamen, ut ſinguli integrum accipiatis libellum , neque ipſe caream libello . Dicitis (ſcio) aenigma loquitur hic: unus eſt liber , & nulli e tanta multitudine non eſt daturus totum , nec vult ſe eo privari . Ne planus quidem ille, & praeſtigiator Mercurius poſſet hoc praeſtare , ut multos faceret caduciferos , ſuo quem unicum habet, unicuique dato caduceo, nec eum tamen ipſe deponeret . Is profecto Mercurius , ut id efficerem, me docuit; audite quo modo , tuque in primis audi, Romanae Academiae moderator optime, ceterique, qui adeſtis, Antiſtites ſacroſancti , ac viri illuſtres, & magnifici, res eſt , niſi fallor , digna ingenio , & doctrina veſtra , nec vos multis morabor. Principio liber hic in uſum meum a me mihi paratus de meo , ut meus eſt , ſic futurus eſt meus, nec dono alicui dabo. Nam praeter unum, qui donaretur, alii , ut dixi , graviter dolerent , eſſetque praeterea munuſculum leve, non enim eſt tale, qualia tria Philolai volumina , quae Siracuſanus ille Dion liberaliſſimus adoleſcens decem millibus denarium emit , eaque largitus eſt Platoni ſuo ; neque hic idem aureis conſpiciendus eſt litteris , ut Homeri Poëmata , ſive quae junior habuit Maximinus , ſive quae in Byzantia ſpectabantur bibliotheca , unius tantum ſerpentis corio , operoſe & ſumptuoſe conſcripta , jampridem cum ingenti librorum copia incendio conſumpta; mille hujuſmodi exempla in tabernis librariis hic Romae venalia ſunt , unde unuſquiſque veſtrum poterit ſibi aliquod parare, tenetis quamobrem nulli daturus ſum, quia, ut dictum eſt, carerem ipſe, nec omnes poſſent donari , & donum eſſet exiguum , & nemo veſtrum non poteſt ſibi emere tenuiſſimo pretio. Dicam nunc,

quo

quo modo Deorum nuncius docuit poſſe munus idem ſingulis dari totum, atque in perpetuum, ſic ut qui ſemel donatus eſt, nequeat illi a quopiam eripi, aut ſubduci unquam: rem quaeſo cognoſcite. Mercurius non tantum palaeſtrae, ut ſcitis, aut furti, aut muſicae, aut mercaturae, ut nomen indicat, ſed etiam eloquentiae Deus eſt, & vocis humanae, quam erudita vetuſtas aligeram dixit eſſe, & Homerus ipſe verba appellat alata, jamque ex antiquis pictoribus nonnulli, cum verba ipſa pingerent, atque alia vultu facerent exhilarato, alia efferato, alia triſti, alia remiſſo, ut eſt variarum vocum diſſimilitudo, omnibus alas addebant, quae idcirco Mercurii pedibus accommodantur, quia oratio, cujus ille inventor fuit, & modulator, volucris eſt, non ut avis, quae pennis, plumiſque veſtita, atque unguibus, & roſtro armata per aërem lapſa non poteſt uno, eodemque volatu, niſi in unum tantummodo locum pervenire, cum haec vox, quae, velut Numen aliquod Caeleſte, non poteſt videri, aut tangi, per multorum aures penitus immiſſa in animos uſque hominum eodem momento temporis involet, ibique ſidat, atque eos ornet praeceptis, quibus vita recte inſtituitur: quae bona perpetua ſunt, nec fortunae jactantur fluctibus, aut diuturnitate ſeneſcunt, ſed cujuſmodi eſt animus ipſe, ſempiterna ſunt. Hac igitur mea voce operam dabo hujus operis, de quo jamdudum loquor, ſenſa omnia, id eſt immortalem, ut ita dicam, libelli animam, nam atramentum, papyrus, lora, membrana, & umbilici, velut membra quaedam vetuſtate, aut aliquo caſu conſumpta una cum univerſo corpore intereunt, ſenſa inquam omnia, nullos labores fugiens conabor vobis oſtendere, & in uniuſcujuſque mente penitus infigere, ac in perpetuum dilargiri. Atque ita nemo indonatus erit, ſed quotquot eſtis, omnes munus accipietis, ſibi quiſque integrum, quod pollicitus ſum.

Verum ut tandem deſinam philoſophari, & , ut Plautus inquit noſter , argutari , aperte , breviterque rem exponam . *Horatii* Venuſini poëtae impreſſa ſunt hic Poëmata , e quibus ipſe in veſtram utilitatem , voluptatemque explicanda ſuſcepi Carmina, ſic enim ipſe ſuas Odas appellat . Quid ego nunc vobis opus hoc laudibus exornem ? putate nemus aliquod ingredi amoeniſſimum , latiſſimumque , ubi praeter Caeli nitorem, ſalubritatemque , terra ſit herbis ac floribus conveſtita , procerae , ac frugiferae arbores , hic ſub collibus agricolarum ſollertia cultis umbroſae jaceant convalles , illic ſpeluncae penitus cavae fontes effundant uberes , frigidoſque, atque aliarum rerum ſit copia , quae oculis afferunt , ac auribus voluptatem . Sic in hac Horatiana Poëſi quaſi ſilva quaedam viret variarum rerum . Delectaris adoleſcentule fabella ? quam graviſſimus auctor Ariſtoteles carminis eſſe animam inquit, plurimam percipies hinc , & ſuaviſſimam . mavult alius hiſtoriam audire ; paſſim occurrit illa , nec domeſtica tantum, verum etiam peregrina . Ecce hic de grege Epicureo voluptatem appetit ; aliquis Democritus ridicula amat ; Heraclitus aliquis flebilia . fac aut Phaedrum , aut Cliniam , aut Niceratum amatoria velle , Pollucem , aut Erycem , aut Herculem ipſum robuſtiora , etiam alium Orphei ſimilem hymnis , & canticis delectari . quis hoc convivia hilarius parat ? aut ſtultos ridet urbanius ? aut miſerabilius lamentatur , vel acerbos juvenum interitus , vel alias mortalium calamitates? Virtutes & geſta heroum canit hic ſolus, Caelitum laudes ſolus, at quibus carminibus? Dii immortales, Deaeque Jovis filiae Pierides eruditae, Parnaſſi caſtiſſimae cultrices ! Sententiae modo graves , dulces modo magis hunc ornent , an verba ſelecta , an ipſorum verborum rurſus teres & modulata ſtructura, Graecorum luminibus paſſim illuſtrata , dubium eſt . Quid plura? Pindarum ipſum , Alcaeum , alioſque Poëtas

tas Lyricos paene innumerabiles, quibus ſe Graecia jactat, nequid magnificentius dicam, aequavit hic ſolus; nam noſtri ubi tantum carminis excellentiam audiverunt, non auſi ſunt idem tentare; quod ſiquis experiri voluit, repudiatus ab omnibus, & contemptus jacuit, nec ejus ſcripta ad poſteros pervenerunt: ad extremum unicus eſt *Horatius* Romanae Fidicen Lyrae, quem plenum jucunditatis, quem plenum gratiae, quem ſolum fere legi dignum Fabius autumat Quintilianus; quem eundem Petronius cum Virgilio tantum e latinis Poëtam eſſe praedicat, reliquos tanto honore indignos cenſet. at ejus aequalis Ovidius ſine invidia hunc & numeroſum inquit, & ejus Lyrae Auſoniae carmina eſſe culta. Nam quid ego nunc dicam de Perſio doctiſſimo ſane viro, & in dijudicandis Poëtarum ſcriptis acerrimo, adeo ut ne optimo quidem illorum parcat, qui cum hujus etiam ſermones ſtudioſe imitaretur, vafrum eum praedicat, callidum, jocoſumque, & ſagacem Poëtam: & alius lucernam clamat hunc eſſe Venuſinam, ſine qua Muſa latina jaceret in tenebris ignota. Nihil dico de variis carminum generibus, quae niſi noſter hic Romanos ipſos docuiſſet, unde illa diſceremus, eſſet praeterea nihil omnino; & quid Poëticae noſtrae deeſſet, ſi iis careret, quod nuda, & inops jaceret, quis non videt? Jam illud quantum eſt? quod non modo legentium, atque audientium animos ſuavitate perfundit, ſed multa recte vivendi praecepta tradit e fontibus hauſta Philoſophorum, qui fructus e laboribus noſtris jucundiſſimus eſt. Et profecto ſatis meo judicio perfecit ille, qui e litteris modeſtiam in primis doctus eſt ſervare, pietatem, atque humani generis ſocietatem: contra qui noſtram Religionem ſanctiſſimam negligit, qui pudorem non ex animo tantum, ſed ex ore deterſit, qui quid ſit fides, & amicitia nunquam novit, qui velut alter Timon homines odit univer-

ſos, eorumque commodis & honoribus dieſque & noctes animo dolet telis invidiae graviter conſauciato; tantum abeſt, ut eum eruditum exiſtimem, quamvis nefarius ille in Operto Muſarum audeat permanere, nec timeat Jovis filias caſtiſſimas oculis, lingua, & manu inceſtare, ut infra omnes impuros, ventrique & gulae deditos paraſitos, infra nebulones omnes, atque adeo pecudes, & monſtra ipſa dejectum eſſe cenſeam. Nam quod taetrius portentum eſt, quam litteras virtutum genitrices tractare, cogitare, loqui, & facere turpiſſima. Ut enim os hominis naturae artificio in promptu poſitum, ſi oculis eſt perverſis, ſi buccis plus nimio tumefactis, ſi deformi labrorum rictu, ſi denique foeda aliqua nota deturpatum, intuentium oculos offendit; ſic vir litterarum ſtudioſus, vitiorum macula reſperſus aequo non poteſt animo videri, non poteſt audiri. Sed ipſum tandem Poëtam, & vivendi magiſtrum audiamus, de cujus vita aliquid dicere, quando ea notiſſima eſt, & paſſim quotidie ab omnibus decantatur, abſurdum eſſet, & hoc loco, tantaque doctiſſimorum hominum frequentia indignum. Audite igitur quibus verbis, quam honorificis Mecoenatem ſuum alloquitur Calaber Poëta, non Ennium dico, fuit enim ille multo antiquior, qui in eadem Calabria natus, ut fuit, ac nunc etiam eſt, genus hominum, non modo in omni litterarum genere praeſtantiſſimum, ſed beneficii nunquam immemor, Scipionis, Laelii, Flaminii, aliorumque Reip. Romanae Principum virtutes, & triumphos immortali carmine celebravit; ſed hunc, hunc etiam noſtratem dico *Horatium* ut intente audiatis. Erunt hujus verba longe jucundiora; quia fuerunt noſtra, quae tamen, ut eſt veſtra omnium humanitas, & in me benevolentia, benigne hactenus audiiſtis, unde vobis omnibus gratiam ſemper habebo ſummam. Videte quam egregie non tantum in primo Carmine Mecoenatis ſui nomen

po-

poſuit, ſed illud idem voluit primum eſſet ordine omnium verborum, ut legentium oculis primum ſtatim occurreret, primumque velut aliquod felix, fauſtumque omen, Mecoenatis nomen pronunciaretur, ejuſque imago in animos hominum incurreret. Favete linguis, duos tantum, polliceor, verſiculos in praeſentia exponam. ſpero, aliquod erit operae pretium audire.

Mecoenas atavis edite Regibus.

O, & praeſidium, & dulce decus meum.

Enumerat hic *Horatius* diverſa hominum ſtudia in eorum animis natura penitus inſita: inde concitatis in curſum equis, aliqui gaudent Olympici ſtadii metas ambire, magiſtratus alii potius ambiunt, hic autem, ut uberes e terra fruges percipiat, agros vomeribus ſulcat duriter & laborioſe, ille paupertatis aerumnam modo abjiciat, roſtris idem facit per maris undas pavide & periculoſe; eſt qui utiuſque duriciem deteſtatus molliter vivit ipſe in voluptate, jam vero plurimi libentius tubae clangores audiunt, hilariuſque geſtiunt in confertas hoſtium catervas penetrare, quam inter virgines choros agitare, atque ſumptis armis ita ad mortem feſtinant, tamquam vitam inde ſint relaturi, quin etiam venationis ſtudioſi uxores jucundas caeteris ut feras exhorrent, feras rurſus formidoloſas aliis laetius vident quam uxores; ſe vero ſuapte natura ad Muſas propenſum eſſe ſignificat modeſte. *O Mecoenas*, caſus eſt, quem veteres non modo vocativum, aut appellativum dixerunt, verum etiam ſalutatorium, hoc enim caſu utimur, ubi jubemus aliquem ſalvere, ut ſalve juventutis o Princeps, Saecli deliciae, decuſque ſalve; & apud Comicum (nam ſic honoris gratia a multis Terentius dictus eſt) Myſis: ſalve Pamphile. Epicorum quoque praeſtantiſſimus Virgilius Maro: Salve ſancte parens, iterum ſalvete recepti Nequicquam cineres, animaeque um-

umbraeque paternae; atque ut eſt in hiſtoria, alter e corvis planiſſime pronuntiabat, ſalve Caeſar, alter ſalve Antoni, ut utercunque viciſſet, novus ille Grammaticus, & magiſter avium mercedem laboris & quaſi Minerval acciperet a victore. Quia igitur hoc caſu, ut apparet, ſalutamus, antiqui, ut patrium ſermonem omni ex parte locupletarent, caſum, ut dictum eſt, ſalutandi, & ſalutatorium appellarunt. Fuit autem Mecoenas, ut nemo fere primis litteris imbutus ignorat, natione Etruſcus, quae gens & antiquitate, & rei militaris peritia, & augurali diſciplina ſatis ſe priſcis temporibus nobilitavit, ad quas praeclaras virtutes acceſſerunt opes immenſae, acceſſerunt ornamenta prorſus Regia, quae ipſe Populus Romanus gentium victor uſurpavit, iiſque Reges ſuos & magiſtratus decoravit; noſtra autem tempeſtate, ut miſſus fiat ſermo Etruſcus, qui ut olim Atticus reliquis Graecis jucundus erat, eumque alienigenae complures ſtudioſe diſcebant, ita hic Italorum aures lepore quodam & ſuavitate demulcet, ut ſiquis ab eo prorſus abhorreat, agreſtis quodam modo, & quaſi barbarus exiſtimetur, quae laus non levis eſt, ſed ut eum ſilentio praeteream, neque aliquid dicam de amoenitate, & cultura agrorum, deque villarum magnificentia paene innumerabilium, ipſae in eadem Etruriae regione urbes plurimae ſunt, & celeberrimae inter quas velut Regina quaedam erigitur Florentia, omnium, quot uſpiam ſunt urbium, communi conſenſu, & judicio pulcherrima, ubi quemadmodum eruditis ſaeculis olim in inſula Rhodienſium, aut Athenis, aut in magna illa Graecia, aut Syracuſis Graecae facultatis ſtudium floruit, ſic in una tantum urbe Florentia non unus modo Latinus, ſed Grajus quoque ſermo noſtra jam memoria domicilium habuit, e quibus alter cum balbus paene jam obmutuiſſet, alter vero jampridem ita eſſet inauditus, quaſi nuſquam fuiſſet unquam, coe-

pit

pit uterque ſimul quodam modo renaſcens diſerte eloqui, ac poëtice necnon ſapienter multa mortalibus praecipere, idque uno tantum auctore omnium civium quot unquam ibi fuerunt, clariſſimo, qui patrimonium ſuum copioſiſſimum benigne & cum magna, & in praeſentia, & apud poſteros laude effundens, Latinis, Graeciſque voluminibus, quorum vel nomina ipſa jam diu interierant, per multos conquiſitis, atque undique comportatis, conductis etiam utriuſque linguae ſpectatiſſimis Profeſſoribus, quos praemiis auctos ingentibus in ſummo ſemper habuit honore, patriam ſuam & tempora perpetuo ornavit. Quae cum mecum ipſe cogito, o Laurenti, tu tu enim Laurenti Medicee, opulentiſſima, & illuſtriſſima familia natus, tu inquam tuo ſtudio, & regia liberalitate tot, tantaque bona nobis peperiſti. Cum haec cogito, te unum optime omnium de humano genere meritum eſſe exiſtimo; nam cum oratione, praeſertim erudita, maxime diſſeramus a brutis, eaque diu perierit, cum illa per te fuerit nobis reſtituta, reſtituta per te nobis fuit ipſa humanitas. Nunquam tanti beneficii memoria ex animis hominum excidat, tuique ſacratiſſimi manes ſine ulla perturbatione aevo fruantur ſempiterno inter animas Caeleſtes vir deorum conſuetudine dignior, quam mortalium. Quamvis in eadem progenie non illud tantum ſidus emicuit, ſed aliquot poſt annis quaſi lux quaedam exortus eſt Leo X. Pontifex Maximus nunquam ſine ſummo honore, atque etiam veneratione nominandus, qui cum aliquandiu virtutibus ſuis cuncta illuſtraſſet, fato nobis adverſo mortifera quadam nube ante diem praereptus omnia reliquiſſet in tenebris, niſi Diis ipſis everſionem Saeculi miſerantibus ex eadem Medicea domo alter ſeſe oſtendiſſet Sol clariſſimus Clemens VII. eodem Summo Pontificatu ornatus, qui quamvis, ut Atlas, omnia ſolus ſuſtineat, eique Chriſtianae Religionis incrementum,

ſit curae, & rerum omnium tranquillitas; non tamen oblitus eſt bonarum artium, ratus in iis ſitam eſſe recte vivendi rationem. Itaque negotium dedit Aegidio Cardinali ampliſſimo eloquentia, ac varii ſermonis multiplici doctrina ornato, quam qui fuit unquam maxime, meoque etiam Johanni Matthaeo Gyberto Datario Opt. & Sapientiſſimo, cujus tanta eſt modeſtia, ingenuus pudor tantus, ut non videam ejus poſſe ullam, ne verbo quidem, attingere virtutem, quae multa, magnaque in eo elucet, quin graviter offendatur: tanta rurſus eſt illa, tamquam varia, & in me non uniuſmodi merita ſemper prae me, quam diu vixero, ferenda, atque etiam praedicanda, ut eum nullo pacto poſſem, niſi alio feſtinaret oratio, tacitus praeterire. His igitur duobus, atque hujus Academiae aliarum omnium florentiſſimae prudentiſſimo ac doctiſſimo Rectori datum eſt, ut dixi, negotium, ne huic loco eruditi deſint, facundi ac modeſti profeſſores, neve iis rurſus honore defraudentur, & praemio: quod tam inſigne beneficium memoria debemus ſemper proſequi gratiſſima. Redeo nunc ad Mecoenatem Tyrrhenum, patria Aretinum, Auguſto Caeſari, cum quo bellis omnibus ab eo geſtis, ut Pedo ſcribit Albinovanus, ſocius interfuit, acceptiſſimum, atque adeo intimum, idque non fide tantum, prudentia, & uſu rerum, verum etiam Poëticae ſtudio, qua Princeps ille maxime delectabatur. Id autem genus doctrinae tantopere coluit Mecoenas, ut inter ſui temporis Poëtas haberetur inſignis, jamque nonnulla monumentis tradidit, ut Elegias complures, ut Prometheum Tragoediam. Laudavit & Octaviae Auguſti ſororis venuſtatem luculentis carminibus, e quibus eſt illud.

Pexiſti capillum naturae muneribus gratum.

Et de Berecynthia,

Ades, inquit, o Cybebe montium

Dea

Dea, ades, & ſonante tympano
Quate flexibile caput,
Latus horreat flagello,
Comitum chorus ululet.

Idemque de ſuo ſepulcro:

Nec tumulum curo, ſepelit Natura relictos.

Quid autem Auguſtus ipſe, & Neronis magiſter Seneca de hujus ſcriptis ſenſerint, nihil attinet nunc oſtendere. Illud vero laudandum eſt in eodem Mecoenate, quod non quemadmodum puſilli & minutuli homines inſcitiae ſuae conſcii animo ſemper pavido excubant formidantes, ne bolus, quem mordicus retinent, ex ore eripiatur famelico, & iccirco maledictis, & latratibus eruditos probatoſque viros a ſuis Principibus fugant, ut ingluviem ſoli expleant, homines taeterrimi, Tantaleis digni ſuppliciis: ſecus agebat ille, ut enim quiſque ingenioſiſſimus erat, doctiſſimuſque ita eum Octavio ſuo libentiſſime conciliabat, jamque nonnulli tanti Principis familiaritatem uni referebant acceptam Mecoenati, quorum in numero fuit Virgilius Maro, de quo non eſt nunc praedicandi locus, & noſter hic *Horatius*, cui cum multa ille largitus eſſet, ociumque ad Poëticae ſtudium conceſſiſſet, quod pretium habuit ſummum, perſolvit hic; nam ingenii, & doctrinae ſuae monumenta Mecoenati conſecravit, & praeter Epiſtolas, & Sermones, fuerunt haec Carmina, Odas dico: enimvero egregiam retulit gratiam, multoque plus quam acceperat, hic illi reddidit. Sed ſatis in uno Mecoenate immorati ſumus, qui fuerit ne ille, qui triennium univerſum, antequam diem obiiſſet, ne punctum quidem temporis ſomno ſopitus fuit, dubium eſt. Dicet aliquis, nihil ne de Turri loqueris Mecoenatica, unde communis hominum peſtis Nero Urbis incendium cum cantu ſpectabat, & voluptate? deque ejuſdem Domo, ubi aeger ſolitus erat Auguſtus curari, aut de Hortis,

quo,

quo, ut alii ſuſpicantur, Poëtarum flos ventitabat, ibique luſit Horto carmina digna non libello? quid? omnia ne nunc ſunt inculcanda? immo ſentio me longius aliquanto, quam munus meum requirit, progreſſum, itaque reliqua celeriter perſtringam. *O Mecoenas* (inquit Horatius) *edite Regibus atavis*, cujus antiquum eſt genus, & Regium. *Atavis* pro majoribus poëtice dixit, ut Virgilius: Turnus avis, atavisque potens; eſt autem Atavus quartus ab avo, ſic enim ſtemma gentilitium, & domeſticum ramos diffundit ſuos, ut poſt parentem ſit avus, proavus deinceps ſequatur, abavuſque, & de quo dictum eſt, atavus, noviſſimo loco ſit tritavus, ultra majores dicuntur, eademque ratione Avia dicitur, & Proavia, Nepos, Pronepos, Neptis, Proneptis, quae omnia gradus habent eoſdem, quos Avus: explicatur hic locus a Jureconſultis abunde. De Regibus nihil opus eſt hic aliquid commemorare; quis enim neſcit Regiam poteſtatem eſſe ſummam, eique ſanctitatem ineſſe, & inter homines plurimum pollere? adeo ut, ſi quis opibus profluenter abundet, Rex dicatur, quaſi inter alios excellens, inde eſt illud, Regem me eſſe oportuit. & Cicero Cauſarum, & Judiciorum Rex dictus fuit publico omnium elogio, quia ceteris Oratoribus anteibat. quin & colludentes pueri Regem conſtituebant, nec eo carebant Convivia, aut Sacerdotes: etiam rationis expertia Regem habent, nec aves modo, aut ſerpentes, ſed apes ipſae Muſarum volucres Regem multo magis obſervant, quam AEgyptii, aut Medi. quid opus eſt verbis? Juppiter Opt. Maximus & honore & nomine Regis gaudet, & Rex dicitur Hominum, & Deorum, eique mortalium Reges curae ſunt. Non potuit igitur *Horatius* aut majori, aut ſanctiori verbo Mecoenatis ſui familiam exornare, quam dupliciter laudat ab antiquitate, & majorum dignitate. Nam aliqua domus vetuſta eſt, & tritavi

poteſt,

poteſt, ut ita loquar, atavum, ac domeſticae ſtirpis ramum milleſimum oſtentare; in ea tamen, ut de antiquis Romanorum honoribus dicam, nulla fuit Praetura, Cenſura nulla, aut Conſulatus, aut etiam Triumphus: itaque nullo rerum geſtarum ſplendore illuſtrata ſemper jacuit obſcura. Contra, alii clari fuerunt per ſe, cum nihil luminis a ſuis accepiſſent, ut Siculorum Rex Agathocles natus e figulo; ut Servius Tullius ancillae, & Vulcani, ut fama fuit, filius, cujus amore capta rerum humanarum arbitra Fortuna, (ſic in Romanis fabulis legitur, fabulas autem Romanas dico, Romuli incunabula, ejuſque ad Superos Aſcenſum, Numae & Aegeriae colloquium in ſpelunca, Apicem Tarquinio ab Aquila impoſitum, aliaque non multa, quibus abundat Graecia,) clanculum ſe per feneſtram inſerens adoleſcentis conſuetudine fruebatur, eumque adeo dilexit, ut non tantum Pileo, id eſt libertate ſervum donaret, ſed ejus manum ſceptro, caput autem diademate ornaret, eademque Hera (ita enim ab Ennio dicitur Fortuna) muliones Conſulatibus decoravit. Qui omnes e parentibus nati ignotis ſe ipſos nobilitarunt; verum illa demum in honore ſummo habetur progenies, cujus vetuſtas majorum virtute ſplendeſcit, ut de Mecoenatis genere non ſemel hic praedicat, multique cum eo praeterea. *O & praeſidium & dulce decus meum*. O particula, quae producto vocis ſono pronuntianda eſt, & geminis proferenda temporibus. Quid autem ſit tempus in ſyllaba, nemo ita indoctus eſt, quin intelligat; jungitur vero cum recto caſu, ut, O ego felix virum nactus in omni virtutum genere praeſtantiſſimum; cum accuſativo, O me nunquam quietum, donec incolumis redeat meus. nam quis neſcit appellativo frequentiſſime haerere. certe tribus his modis uno, atque altero verſiculo uſus eſt Propertius: O me felicem, nox o mihi candida, & o tu Lectule deliciis facte beate meis. Et praeſidium,

dium, tutamen, & patrocinium. ut enim praeſidium in Urbe, Oppido, aut in Arce collocatum ab hoſtibus locum defendit, ſic cum multa Mecoenas largitus eſſet Horatio, paupertatem hoſtem mortalibus acerrimam, ab eo procul fugavit. Et decus meum dulce, ornamentum; unde praeter laudem, gloriamque voluptas manat ſuaviſſima. Eſt autem honorifica appellatio, non enim tantum dixit *O Mecoenas*, ſed pluribus, ut ſuum ornaret, uſus eſt verbis. factitat hoc Virgilius, ſed e multis exemplis illud nunc occurrit, quo ſolo erimus contenti.

Trojugena interpres divum, qui numina Phoebi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui ſidera ſentis,
Et volucrum linguas, & praepetis omina pennae.

Verum ne veſtra humanitate videar abuti, finem dicendi faciam, nec vos ulterius morabor.

F I N I S.

AN-

ANTONII THYLESII

CONSENTINI

EPISTOLAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTONII THYLESII
CONSENTINI
EPISTOLAE.

ANTONIUS THYLESIUS
ALEXANDRO CACCIAE
Florentino

S. D.

EODEM tempore & tibi gratulor , & tui me ſurſus miſeret , quem enim maximi omnium facis mortalium , cujus nomen in ore ſemper ineſt , in animo ſemper imago , in quo uno tuas omnes, amicorumque tuorum ſpes jampridem certa fide ſepoſuiſti , is hodie ſacri , purpuratique collegii ſuffragiis in auguſtiſſimo Petri ſolio collocatus eſt , ac Pontifex Maximus ſuppliciter de more ſalutatus . O diem, clamas, omnium , qui mihi illuxerunt, candidiſſimam, ſemperque, ſi qua nunciata fuit unquam leta , evangelio dignam egregio . Sed te mi Alexander iſtic Mediolani caſtris vallatum hoſtilibus retineri fero acerbiſſime : quare , ſi non datur vi erumpere , excogita aliquod Daedaleum , aut furtim per vias ſubterraneas , quemadmo-

Digitized by Google

admodum Ulyſſes a ſuis ad hoſtes, ſic tu contra ab hoſtibus ad nos tuos ſubterfugiens cuniculus evade. Haec ad te ſcribo ignibus per urbem paſſim collucentibus, clamores audiens diſcurſantium laetiſſimos, immaneſque bombos, & frequentiſſimos ab Hadriani mole, eademque divi Angeli arce expreſſos in Chriſtianae gentis laetitiam: peream, niſi malles hoc genus tonitruum audire, quum dulciſonam, argutamque Amphionis tui citharam, quem etiam ipſum una tecum videre videor geſtire, omniaque mente colluſtrare, ut evolet huc ad Johannem Matthaeum ſuum honore, & dignitate florentiſſimum, gratiſſimumque non modo Pontifici ſuo Maximo, cui intimus eſt, ſed Regibus quoque potentiſſimis, ipſique in primis Caeſari Chriſtianorum unico imperatori inviċtiſſimo, ac ſemper Auguſto. Vide quod valeat ingenium natura egregium, aſſidueque, & diligenter praeclarius artibus, & diuturno magnarum rerum uſu cultiſſimum; nam etſi aurium voluptas jucunda eſt, nihil tamen ad eam, quae oculis percipitur. Sed brevi ſpatio, eadem Fortuna, quae vos beavit, exitum ſecundabit iſtinc feliciſſimum. Atque ut aliquid de eadem re ſcribam, ingens animos omnium invaſit hilaritas cunċti Chriſtiani populi, curam, regimenque Julio demandatum eſſe Mediceo Clementi nunc VII. vides quam amabile ſit nomen, quodve polliceatur, nemo enim jampridem ſibi non perſuaſit prater caetera animi bona, quae in uno ſunt omnia, & praeſtantiſſima. cum ampliſſimis opibus ſummam quoque conjunċtam eſſe liberalitatem, quod genus virtutis illuſtre, ac Pontifici Maximo prae caeteris hominibus conveniens, accepit is a majoribus ſuis, ut noſti, velut hereditarium: nam quis, ut de aliis ejuſdem heroicae familiae viris ſplendidiſſimis taceam, nec quicquam de Leone X. dicam Pontifice munificentiſſimo, cujus recens in bonos omnes benignitas notiſſima eſt, ſic
ut

ut res laude non egeat, quis inquam Magni Laurentii nomen non audivit? quis praemiis propoſitis plurimis, ingentibuſque honeſtas artes jam mortuas in lucem revocavit, ad eaſque colendas non privatos tantum, ſed Principes ipſos, atque adeo Reges impulit, qui omnes certatim unius ſectati veſtigia ingenuas diſciplinas avidiſſime fuerunt complexi. Itaque cum hic Maximorum Antiſtitum Ordo prudentiſſimus aliquanto diutius opinione omnium in Curia fuiſſet Pontificia, ut virum eligerent, qui tot, tantiſque oneribus ſuſtinendis non ſuccumberet, ac nonnulli metuerent, ne forte tantus heros Pontificatu privaretur, praeſertim cum nemo illic non eſſet quovis honore digniſſimus, ubi aligera, ut Poëtae ajunt, Fama erupit e Vaticano, ac decies centenis vocibus omnia celeriter pervolans clariſſime cecinit, Julium factum eſſe Pontificem Summum, Maximumque Julium, nunquam ita, ut tunc, laetior fuit Urbs univerſa. Pontificem pars habemus, ajebat, oris dignitate conſpicuum, nam hoc, ut ſcis, ſtatim homines ultro ſibi conciliat, & tamquam Numen aliquid Caeleſte veneratur, unde aliqui Regem nolebant, niſi formoſum, pars ſapientiſſimum, animoque armatum inviĉtiſſimo diĉtitabat. quarum utraque virtus furentibus bellorum procellis non ſemel, magno quaſi theatro in Julio ſpectata eſt rerum apicem nondum adepto. Plura igitur nunc longeque majora ſunt ab eo expectanda, qui ſceptra ſuſtinet Reipublicae Chriſtianae. Erant qui, ubi tantum boni divulgatum eſt, comem eundem praedicarent, facilem, benignum in ſuos, in alienos, in litteris ornatos, Muſarum praeſidium, miſeris ſubſidium; quin etiam jam nunc complures rerum gnari affirmant hunc nihil aeque cogitare, quam ut Chriſtianum augeat imperium, ingeniique, atque animi vires intendat in hoſtes, inimicoſque Nominis Sacroſancti, gratia prius inter principes noſtros perpetuo foedere re-

conciliata: nam cum ſint partes ejus, qui ipſius locum obtinet Chriſti, pacem ſuadere, quam ille rerum omnium ſapientiſſimus, ditiſſimuſque, & eorum, quos ſibi elegit, amantiſſimus, velut ampliſſimam certiſſime hereditatem, antequam ad mortem raperetur voluntariam, ſuis reliquit, idque Chriſti Vicarius, imitatorque Pontifex probe intelligat, omneſque pro ejus ſapientia, rérumque uſu teneat aditus, quibus iri poteſt ad extinguenda bellorum incendia, nemo non exiſtimat fore, ut nunquam ceſſet, donec quos filiorum loco accepit divino numine, depoſitis quieſcant armis. Quod ſi in ore omnium nunc eſt, diuque erit, etſi multi praeterierunt anni, & ſaecula alter Romanorum Rex Numa ille Pompilius, qui civibus tantum ſuis pauciſſimis, ut res Romana eo tempore erat tenuis, perſuaſit pacem cum alienis, conſtituerent diuturnam, religionemque quamvis levem, vanamque colerent; quantae huic Sacratiſſimo Pontifici erit laudi, & gloriae, ſi noſtra inter nos bella oppreſſerit impia? quibus gens ejus fidei, & prudentiae commiſſa mutuis cladibus plurimis, ſaeviſſimiſque cadit quotidie, ejuſdemque tandem ſollertia, & auctoritate malis omnibus, quae latius manant in dies, funditus extirpatis, tot, tantaſque Chriſtianorum nationes firmiſſimo pietatis vinculo colligatas in Sanctiſſima continuerit religione? ita multi futurum eſſe praedicant. Et Rhodon ſperant florem illum, ut vetus, Grajumque nomen indicat, inſularum, mariſque Reginam, noſtrum quondam propugnaculum, nunc Turcarum, Rhodon inſulam amoeniſſimam, munitiſſimamque, quamve auream non temere dixerunt antiqui, atque e ſeptem totius terrarum ambitus, ut appellant, miraculis unum eſſe voluerunt, his paucis diebus (proh dolor, pudorque!) e tot Chriſtianorum manibus unius vi extortam, per hunc rerum divinarum, humanarumque arbitrum Pontificem magnanimum nobis ſperant omnes reſtitu-

tum

tum iri cum reliquis urbibus, regniſque jam multis ab hinc annis turpiter relictis, & calamitoſe. Quod bellum glorioſiſſimum fato nobis amico in haec tempora reſervatum ut Pontifex hic feliciſſimus aggrediatur, quis e Chriſtianis non approbans auxilio adeſt? malumque quod in caput omnium gravius imminet, non properat depellere? qui velint modo reſpicere, ſuaſque vires agnoſcere, ac ſpiritus magnanimos excitare, reique communi, & publicae, tam piae, ſanctaeque ſimul incumbere, ut eſt praeter noſtrorum Regum innumerabiles, fortiſſimaſque pugnantium copias, opeſque ſummas ad bella ſuſtinenda divinum Numen Chriſtianae Sectae propitium, non modo hoſtem coërcebunt teterrimum, & importuniſſimum, ſed eumdem trepidum, proculque repulſum fugabunt. Verum amore impulſus, provectuſque publicae quietis, & boni, ſentio me paulo longius progreſſum, & a propoſito aberraſſe. redeo igitur ad te, mi Alexander, quem opto diu, ſuaviterque vivere, & hìc eſſe, gaudiumque ſolidum coram gaudere. Ego etſi tui, aliorumque praeterea multorum ita ſum memor, ut a vobis animo abſim aegroto, ſum tamen hìc alioqui libenter, & jucunde captus nova doctiſſimorum hominum conſuetudine, quorum incredibilis eſt Romae multitudo. ex iis autem cum alios complures, tum Hieronymum Vidam, Paulumque Jovium mihi praecipue conciliavi, alterum Poëtam Epicum celeberrimum, quique tandem docuit Muſas vere, pieque de rebus divinis canere, idque cum ſumma carminis excellentia, & lepore; alterum non magis in Hippocraticis artibus, quas cum eximia laude profitetur, verſatum, quam in ſcribenda hiſtoria, qua res omnes noſtro tempore geſtas monumentis tradit immortalibus, vel horum utriuſque cauſa me nihil poenitet huc veniſſe. Sed jam plerunque noctis abiit. praetermittendi ſunt igitur multi eruditiſſimi, quos mihi amicos paravi.

P 2 Vale.

Vale. Meſſalae, & Corvitae meis ſalutem dico, atque etiam Amphioni. Civibus tuis amicitia mihi conjunctis, qui Mediolani ſunt, meo nomine gratulare. Iterum vale, meque ama.

Romae XIII. Kal. Decembres cIↃ. IↃ. XXIII.

ANTONIUS THYLESIUS
BENEDICTO RHAMBERTO
S. D.

ME vero ad reditum ultro paratum nonnihil incitavit epiſtola tua; ſed quis homini jam ſeneſcenti, ac naturae praeterea imbecillis, ſi ſe per hyemem itineri longinquo metueret committere, veniam non daret? quare Martio menſe, qui proximus eſt, ſtatui, rebus omnibus poſthabitis, me accingere, atque eo animo revertar, ut Venetiis tecum, ac cum ceteris, quos mihi communia litterarum ſtudia conciliarunt, reliquum omne aetatis meae tempus tranquille ducam. Equidem, mi Rhamberte, niſi in tot, tantiſque rerum fluctibus, quibus ſciebam meos fuiſſe vexatos, non accurriſſem, praeter quam quod ſemper verſatus eſſem in metu, jure poteram graviter accuſari: quam meam cauſam, etſi nunquam dubitavi, gaudeo tamen Xviris ſumma humanitate praeditis fuiſſe comprobatam; quibus quoniam placuit, ut ſcribis, neminem prorſus ſubſtituere, priuſquam de meo reditu certiores fiant; agnoſco ampliſſimi Ordinis gravitatem, aequitatemque, atque in me, qui illum ſemper ſuſpexi, & ſum veneratus, non levem bene-

benevolentiam; unde debeo ei immortaliter, teque unice rogo, ut, quam memori, ac grato animo beneficium hoc inſederit, apud eundem Ordinem pro illius amplitudine, ac majeſtate verbis oſtendas honorificentiſſimis, meque brevi affuturum meo nomine pollicearis. Cur autem reditum non maturaverim, ex alteris litteris, multo quam hae prolixioribus, quas arbitror tibi jam eſſe redditas, facile potes intelligere: illud tamen in praeſentia ſcias, & navigandi tarditate; vix enim quadrageſimo, poſtquam conſcendi die, domum perveni fere naufragus; & rerum mearum ſtatu, quas longe aliter, atque opinabar, offendi, fuiſſe deceptum, quo minus eodem, quo diſceſſi, navigio recurrerem ante dies, ut conſtitueram, brumales; ſpero tamen, veſtro omnium ingenio, ac ſtudio fretus, meaque item ſolertia, nullum querelis futurum eſſe locum, ac neminem veſtrum doliturum ex hac paucorum menſium intermiſſione; dabitur, mi Rhamberte, reditus ad litteras, idque fiet alacrius; quanquam (de te loquor uno) damni ne aliquid tu e meo diſceſſu? quid ſi, ut videre videor, quaeſtum potius feciſti, Triphonem nactus praeceptorem, patricium virum, varia doctrina expolitum, ac ſumma (utrumque omnes una voce, cum iſtic eſſem, praedicabant) probitate ornatum? quin tibi, quem alioqui ſumme amo, paene invideo, doleoque ante me diſceſſiſſe, quam aliquid ex ejus lepore deguſtaſſem; ſed liceat redire, non committam, ut ſolus viro fruaris tam egregio, quem quoniam totum habes, quid petis quippiam aliunde? amabo te, excipe omnia, quo poſſis, ubi affuero, benigne amicum impertire; ſed cupio tecum, quamvis ſerio haec ſcribam, coram jocari, & cum Mario meo, elegantiſſimo, ac modeſtiſſimo adoleſcente, cujus quoniam conſuetudine careo, vivo, velim crederet, acerbe; unice dicerem a me illum amari, niſi eſſes tu, quo nemo unquam fuit, aut futu-

rus eſt mihi carior. Vale. Parentibus tuis optimam, fratrique plurimam ſalutem.

Conſentiae XII. Februar. cIↃ. IↃ. xxx.

ANTONIUS THYLESIUS

ANDREAE FRANCISCIO

Scribarum Principi

S. D.

NUnquam, ex quo a vobis diſceſſi, fui non miſer; nam principio cum neceſſitate coactus domum feſtinarem, quae ego non pertuli adverſa, ac diuturna tempeſtate fatigatus? unde paene naufragus, vix tandem ad meos pervectus, nihil inveni, quod auribus non eſſet, atque oculis injucundum. Ad extremum omnia paraveram ut reverterer, jamque ante triduum diſceſſurus, ecce, neſcio quonam meo fato e duobus tantum ſcalarum gradibus, recenti pluvia lubricis, delapſus, utriuſque pedis talos ita intorſi, ut aliquot dies ex eo caſu decubuerim, dolore affectus acerrimo: quo jam medicamentis, ac die ipſa ſedato, ulcus infra genu in interiori parte ſiniſtri cruris enatum domi me aliquandiu continuit, & adhuc retinet invitum, ac ſtomachantem, non poſſe ad vos, quemadmodum coram, & per epiſtolam ſaepe fui pollicitus, reverti. Obſecro te, atque obteſtor, per majeſtatem, fortunamque, ac Genium reipublicae veſtrae, ne me mutatae voluntatis arguas: quod ipſum eſſet non modo leve, ſed turpe, ac dignum gravi reprehenſione, atque etiam animadverſione; enimvero tantum

tum a priori ſententia abſum, ut, ubi fuero paulo firmior, quod brevi, ut puto, futurum eſt, locatis in multos annos rebus meis, ut jam inſtitueram, aut divenditis, eo animo Venetias remigrem, ut vel diu, vel ad ipſius vitae exceſſum ſim apud vos permanſurus; interea poterit, ſi Xviris, quorum conſilio, & auctoritate res geritur, viſum fuerit, aut vicarius mihi in paucos dies ſuſtitui; aut certus homo praeficiatur Scribis Junioribus erudiendis, exacto tamen (hoc autem vos etiam atque etiam oro) menſe Octobri: quo tempore nova ſunt profeſſorum auſpicia: quando ſperem ante eam diem, niſi me pedum imbecillitas impedierit, urbem iſtam ampliſſimam videre. Vale.

Conſentiae. XIII. Kal. Octob. CIƆ. IƆ. XXX.

ANTONIUS THYLESIUS

BENEDICTO RHAMBERTO

S. D.

O Mi Rhamberte, quam ſuavis eſt ſermo litterarum tuarum: non caret tamen aculeis, quibus partim me ſtimulas, ad vos ut redeam, partim ſubaccuſas, quod tandiu reditum diſtulerim; utinam meo modo liceret vivere: eſſem non invitus quo me revocas; ſed non tantum aetas, atque imbecillitas, corpuſque valetudine adverſa affectum, ab itinere, & profitendi labore me deterrent, ſed multa me impediunt, quae non eſt hic ſcribendi locus, aliae ſemper ex aliis me premunt moleſtiae, quibus video jam praecludi profectionem, quos meos labores futuros cum velut e ſpecula proſpicerem, ſcripſi non ſemel

ad Scribarum Maximum, vel vicarium ſubſtitueret, vel certum hominem ſibi pararet, quo juvenes veſtri erudirentur; quod ſi apud alios, a quibus ſaepe fui honeſtiſſima conditione ultro invitatus, literas profiterer, (quamvis cui non permittitur vivere, ut vult?) haberes cur poſſes ſi non merito, ſaltem rationem invenire, cur me quaſi velleres; ſed ſi non modo Raguſinis, qui aureis C C. bis me publico decreto vocarunt, & Mediolanenſibus negavi, verum patriae ipſi, & huic urbi florentiſſimae, neſcio unde exoriuntur querelae: video mei deſiderio eas naſci: mutuum eſt, mihi crede, ac nullus fere dies abit, quin doleam, me tibi ſapienter, & amice ſuadenti non paruiſſe; an apud vos non cuperem vitam agere, & in humanitate, ac lepore tuo acquieſcere? ſed multa me prohibent, & ſimul profeſſionis taedia ita me capiunt, ut quidvis potius agendum mihi eſſe cenſeam, quam oneri moleſtiſſimo me poſthac denuo ſubjiciendum. Habes animi mei ſenſum, ama me, quod niſi feceris, ferreum te putabo; Mariumque meum, illuſtrem adoleſcentem, noſtri amantiſſimum, in me amando ſupera; nihil enim mihi tam accidere poſſet jucundum, quam ſi intelligerem tuum in me amorem non modo non minui loci, ac temporis intervallo, ſed etiam augeri; quod ut fiat, in tua eſt enim manu, te ſumme rogo. Theupolo viro clariſſimo, cujus ego & doctrinam, & morum ſanctitatem nunquam non praedico, Marioque eruditiſſimo ſalutem plurimam. Vale optime.

Neapoli. XII. Decemb. CIↃ. IↃ. XXXI.

AN.

ANTONIUS THYLESIUS

BENEDICTO RHAMBERTO

S. D.

Litterae tuae, quo ſunt frequentiores, atque etiam longiores, eo mihi majorem afferunt voluptatem; quamvis cum mecum ipſe cogito, qui tam ſuaviter ſcribit, tam copioſe, tam amanter, eo me juvene diu caruiſſe, atque eſſe cariturum, non poſſum non angi, & cruciari, quod deſiderium augent querelae, & moeroris tui, quibus acerbe fero te plus nimio confici; quorſum afflictatio iſta? pater, inquis, obiit; tibi ne ſoli id accidit? abſenti mihi, hoc, quia oculis non aſpexiſti, minus dolendum, at omnibus carus, id vero debet conſolari. Nam quod de matris valetudine ſcribis, video te animo eſſe admodum leni; age mi Rhamberte, te obfirma, quo filii optimi reditu poſſit illa, ſi quam tempus adhuc non delevit, aegritudinem funditus tollere. Ego, ut ad me redeam, vitam ago ſine Muſis, hoc eſt ſine voluptate, quas animi delicias ſcelus mihi eripuit, famulum dico, qui, ut alias ſcripſi, ita me compilavit, ut paene nudum reliquerit; quas poenas fateor me jure, ac merito dediſſe; cur enim tuis optimis conſiliis non parui? aut agello ſaltem meo contentus, cives noſtri amantiſſimos deſerui? Nunc omnis ſpes in uno eſt Pompejo Columna Antiſtite ampliſſimo, litterarum firmiſſimo patrocinio: ſpero neceſſitatibus noſtris opitulabitur; ſed heus, vigent ne iſtic in aula tanti Caeſaris Oratoriae, ac Poëticae ſtudia? an negociorum aeſtus non permittunt quemquam in ocio quieſcere?

Scribe

Scribe omnia, & vale, ac tibi perſuade, Rhamberto meo nihil in rebus humanis eſſe, ac fore jucundius, quem ſiquis Deus reſtitueret, non permitterem rurſus ſic temere ejus humanitate privari. Mario ſuaviſſimo, atque Oratori clariſſimo ſalutem, verbis honorificis pronunciatam; iterum vale.

Neap. XII. Aprilis cIↃ. IↃ. XXXII.

FINIS.

CO.

Digitized by Google

CORIOLANI MARTYRANI

SANCTI MARCI EPISCOPI

AD

ANTONIUM THYLESIUM

EPISTOLAE.

CORIOLANUS MARTYRANUS

ANTONIO THYLESIO

S. D.

Aiunt iſtam viam totam fere uſque ad montes εἰμόνον ψεκάζει ἄβατον *fieri, & voraginoſam, meque iturum iſtac non ſine periculo tam parvo cantherio; & ſi illum expertus ſum valde ſtrenuum in paludibus tranſpadanis; itaque perſuaſere, ut omiſſio Patavio, Tarviſio redirem; denique quantum eſt Alpium ambirem, modo ne iſtac male ſit Cauris, qui Notis ceſſere: hem qui nullos anfractus vitaſſem, ut* THYLESIUM *viderem: cogor per anfractus* βαδίζειν καὶ θυλέσιον οὐκ ὁρᾶν: *hoccine crudelius quicquam, vel indignum magis? tamen quum primum per hyemem licebit, inviſe nos cum hirundine & roſa; nonne? nempe es pollicitus. Vale.*

CO-

CORIOLANUS MARTYRANUS
ANTONIO THYLESIO
S. D.

Vereor, ne nullam poſt hac mihi habeas fidem, qui toties pollicitus me iſtac reverſurum, toties pejerarim, ego ſi in alium, quam in me hoc incommodum redundaſſet, cui alia redeunti to colloquio carendum fuit; longa uterer excuſatione: fucum facere, ac elabi e judicio conarer; nunc autem, quum tu nil damni ex meis mutatis conſiliis paſſus ſis, ego amplum illius peccati ſupplicium luam: quid me tibi diutius expurgem? ſat ſit audire: ſic res tulit, faciundum fuit. Hoc tamen tibi perſuade, ſummam mihi injectam fuiſſe neceſſitatem Patavii omittendi; nec illa ratio me movit, quod alio itinere propius redibam, etſi maxime properabam. Sed amici precibus coactus ſum divertere ad Tres Villas, quo, praeter quam quod devium erat, bigis, quibus Dii ſint irati, feris ac indomitis vectus ſum, via aeſtuoſa (Juppiter?) & pulverulenta, ut ſuccuſſu nunc etiam indoleat latus: ergo mihimet deeſſe volui, ne amicis deeſſem. Sed audi horrenda: praemiſi quendam de mea cohorte cum litteris ad vos, quibus rationem mutatae ſententiae reddebam; hem non te reperit noſter Cyclops: quid (inquam) homo ignaviſſime, non litteras domi relictas, non illum toto oppido quaeſitum oportuit? verebar (inquit) ne vos aſſequi nequirem, quid facerem? aegerrime paſſus ſum. Tu ſi vir es, remitte mihi illas epiſtolas, quas immemor dereliqui, pro quibus mitto unam graecam ad Peruſcum; non ego inſanio, qui graece? ſed prior laceſſit. Meam Oratiunculam, quam ad

ravim

ravim petis, mitte, quam afferunt tibi Venetiis; ibi illam aſſerunt eſſe venalem: o audaciam ſingularem an ne avaritiam, mea me inconſulto edere non vereri! quid facto opus eſt? pari ratione de ventis querar. Vale & iſtis Heroibus ſalutem, noſtris itidem Conſentinis. Iterum Vale.


IN-

INDEX EORUM,

Quae hoc Volumine continentur.

AD Aemilium Jannutium Sabellum Epiſtola pag. III.
Antonii Thyleſii Vita VII.
Index Operum Antonii Thyleſii XIX.
Selecta Doctorum Virorum de Antonio Thyleſio Teſtimonia XXIII.
Paulli Mocciae Epiſtola XXXVIII.
Antonii Thyleſii Tragoedia cum praefatione Laelii Aleandri 3
Carminum libri duo 45
Garcilaſſi de Vega Toletani ad Antonium Thyleſium Ode 128
Bernardini Thyleſii Carmen cum verſione Julii Cavalcantis 130
Ejuſdem Epigramma 136
Selecta de Bernardini Carmine, & Julii verſione Teſtimonia 137
Index Carminum Antonii Thyleſiii 139
De Coronis 145
De Coloribus 169
In obitu Joh. Jacobi Trivultii Oratio 193
In Odas Horatii Flacci Auſpicia ad Juventutem Romanam 207
Epiſtolae 223
Coriolani Martyrani ad Thyleſium Epiſtolae 235

Digitized by Google



NEAPOLI . CIƆIƆCCLXII.

IDIB. SEXTILIBVS

EXCUD. PAVLLVS ET NICOLAVS DE SIMONE.

MAG 2023080

Digitized by Google

Digitized by Google